

Miqrā

Arias Montano, Benito

BeGenewwā, [1618]

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-56892









BIBLIA HEBRAICA.

EORVNDEM LATINA INTERPRETATIO XANTIS PAGNINI LVCENSIS,

BENEDICTI ARIÆ MONTANI Hispal. & quorundam aliorum collato studio, ad Hebraicam dictionem diligentissimè expensa.

ACCESSERVNT *Libri Græcè scripti, qui vocantur* APOCRYPHI; *cum interlineari interpretatione Latina ex Bibliis Complutensibus petita.*

Jacobus Allott



Magister Ioannes Paillet sacerdos.
Parochus.

נדפס על ידי כאפא אירן

בגנווא



BEN. ARIÆ MONTANI HISPALENSIS IN LATINAM EX HEBRAICA VERITATE VETERIS TESTAMENTI

interpretationem, ad Chriſtianæ doctrinæ ſtudioſos,

PRÆFATIO.



NEMO duarum, aut plurium linguarum cognitione præditus, quotidiana experientia non docetur, idque vſu ſæpiſſime compertum eſt, fieri nõ poſſe, vt cuiuſuis auctoris mentem, ac ſententiam faciliùs vlla lingua quiſquam aſſequatur, quàm illa met, quâ is veluti ſibi familiariſſima, ac materna, aut eſt locutus, aut monumenta ſcriptis reliquit. Conſtat enim animi noſtri ſenſa & cogitationes ea lingua, quæ tanquam nobiſcum nata eſt, quàm qualibet alia, quæ non ſine labore comparatur, multo minori negotio, atque etiam multò aptiùs exprimi poſſe. Idq; tùm natura ipſa docet, tũ facilitas illa, qua miro quodam modo ad eius potius, cui nobiſcum vna eademque lingua materna communis eſt, quàm ad illius, quocum extero ſermone, licèt alioqui nobis noto, vti opus eſt, colloquium allicimur. Fit autem plerumque, vt ij qui artes ac diſciplinas tractant, aliena lingua vti cogãtur: quod quidem euenire ſolet, aut propter eius linguæ cognitionem, quam interdum habẽt plures nationes; aut quòd iis vocabulis, quæ in earum artium aut diſciplinarum, quas profitentur, tractatione adhiberi neceſſe eſt, in propria lingua deſtituantur. Atque hac potiſſimùm de cauſa neceſſe habent earum linguarum adiumentis vti, quibus linguis artes ac diſciplinæ, in quibus ipſi verſantur, luculenter traditæ ſunt ac conſcriptæ: ideoque fit, vt qui ad illarum cognitionem peruenire cupit, earum linguarum, quibus eas e artes faciliùs aſſequi poſſe putat, facultatem ſibi neceſſariò comparandam exiſtimet. Equidem optãdum ſit vno omnes linguæ genere vti: nam hoc modo cõſuetudo, rerumque vſus ac tandem cõmunis illa ſocietas, qua homines inter ſe veluti quodam affinitatis vinculo coniunguntur, multo minore labore, quàm nunc fit, conſeruari poſſet. Sed quando humani generis culpa, ac iuſto Dei iudicio omnium hominum communio dirempta, & vnicus ille loquendi modus in varia, ac planè diuerſa linguarum genera diductus eſt; neceſſe eſt eum qui ex cæterorum conſuetudine aliquam vtilitatem percipere cupit, eorum linguam diſcere quibuſcum res ei eſt, aut certè cum iis verſari qui eius linguam probè teneant, à quibus nimirùm intelligatur. Sed neque perinde eſt vtile, neque etiam tam in laude ponitur, materna lingua cum extero, qui eam nouit, vti, quàm peregrinam linguam probè tenere. Qua de cauſa qui rerum peregrinarum ſtudio tenentur, continuo labore, ac diligentia peregrinis etiam linguis, quibus earum rerum, quas ſcire cupiunt, cognitio continetur, & quibus ea primùm pertractatæ fuerunt, operam dant. Inter eas autem diſciplinas, quæ omni hominum generi vtiles, atque adeò neceſſariæ ſunt, quæque ideo ab omnibus diſci debent, nullam eſſe, quæ cum ſacræ ac diuinæ ſcripturæ dignitate ac præſtantia conferri aut comparari poſſit, in maiori, quam Regiis Bibliis præpoſuimus, præfatione, abundè à nobis demonſtratum eſt. Conſequens ergo eſt, eum, qui ſacratiſſimæ illius ſcientię ſtudio tenetur, ea ſibi adiumenta comparare, quibus ad eius ſacraria, tum facilem, tum etiam breuem ſibi viam pateфaciat. Nihil

verò est quod ad eam rem aditum faciliorem parare possit, quàm earum linguarum cognitio, quibus sacri libri, Spiritu Sancto auctore, fuerunt conscripti. Duo autem linguarum genera, diuino consilio inter cætera potissimùm delecta sunt, quibus omnis diuinorum mysteriorum ratio contineretur. quarum altera omnium antiquissima, à Deo ipso instituta, inter primos humani generis parētes in vsu fuit. altera verò propter paternam Noah in filium Iapheth benedictionem, cum gente ipsa fuit præ cæteris illustrata. Illam posteritas Hebraicam (quam merito primæuam potius dixeris;) hanc verò Græcam siue Eliensem appellauit. quæ quidem cùm vel ob cæterarum nationum cum Græca familiaritatem & commercia, vel propter studium, quod in ea addiscenda à plerisque adhibitum est, compluribus nationibus nota, & familiaris fuerit, aptissima & maximè commoda fuit, qua diuina mysteria plerisque nationibus patefierent. Inter omnes verò Hebraica lingua primatum quendam obtinuit, & in quadam veluti sacra arce collocata est. idque tum propter venerandam illam antiquitatem. est enim mundo ipsi coæua: tum propter primorum humani generis parentum, qui ea vsi sunt, dignitatem; tum verò maximè (vt testis est Moses) quod Deum ipsum primum habeat auctorem, & qua potissimæ ac nobilissimæ partes vniuersi huius orbis, qui cōspici potest ac videri, sua quæque nomina primùm sunt sortitæ, qualia sunt: cælum, terra, mare, lux, nox quæ etiam hominibus ipsis imposita nomina continuit, quorum significatio totidem elementis, eodemque singularum partium pondere constans in aliis linguis nō est. His & illud accedit, Deum ipsum post insignem illam linguarum diuisionem, probitate & sanctitate maximè cōspicuos viros hac lingua allocutū esse; quod vel ex nominibus ab ipso aut impositi, aut mutatis cōstat: cuius generis sunt hæc: Abrā in Abrahā, Sarai in Sara, Iacob in Israel, atque adeò sacratissimum illud ipsius nomen, omni hominum captu & interpretatione maius, quod ex huius linguæ verbis deduci voluit. Neque verò his solùm ornamentis hanc linguam præ cæteris decorauit & insigniuit, sed tum admirabili illo legis ab ipso latæ ac conscriptæ volumine, tum etiam frequentibus illis cum Mose colloquiis eam mirificè illustrauit. Nam hæc omnia, Hebraica lingua prolata & tradita fuisse, præter constantem fidem, quæ vel apud ipsos linguarum detrectatores est, plurima nomina, ac præclara monumenta declarant, quæ in deserto illo, in quo Deus quadraginta annorum spatio Israelitas exercuit, relicta sunt. Neque verò illud postremum est, nullam, scilicet, earum linguarum, quarum cognitio ad hanc vsque ętatem deuenit, vel pronunciationis integritate gratiorem, vel simplicium verborum copia abundantiorem, vel significatione ipsa, vel significādi modis magis esse distinctam. Quod quidem, cùm ad eum locum peruenerimus, Deo dante, à nobis sigillatim demonstrabitur. Quamobrem qui in sacris diuinæ Legis, Psalmorum, & Prophetarum libris intelligendis diligentissimam (quatenus per humanam industriam pręstari potest) operam posuerunt, nulla neque laboris, nec difficultatis habita ratione, ad eius linguæ studia se contulerunt, cui diuina mysteria primùm credita sunt, vt aliquando cum hominibus communicarentur. Quod si id magistrorum defectu interdum effici nō potuit: saltem à piis sacræ scripturę studiosis, Græcæ & Latinæ scripturæ non ignaris, semper expetitum est, vt illa primęuæ & antiquissimę linguę proprietas, doctorum aliquot virorum diligentia, iis linguis, quas ipsi tenent, quàm fieri posset aptissimè exprimeretur, vt hac ratione proprias veteris Testamenti locutiones assequerentur. Hoc consilium sunt secuti DD. Augustinus & Hironymus: quorum ille in iis libris quos De doctrina Christiana inscripsit, ita scriptum reliquit: Et Latinæ quidem linguę homines, quos instruendos suscepimus, duabus aliis, ad scripturarum diuinarum cognitionem habent opus, Hebræa scilicet & Græca; vt ad exemplaria precedentia recurratur si quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas. Hieronymus verò ad Suniam & Fretelam scribit, his verbis: Sicut in nouo Testamento, si quando apud Latinos quęstio exoritur, & est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo nouum scriptum est instrumentum: Ita in veteri Testamento, si quando inter Græcos Latinósque diuersitas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem, vt quicquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in riuulis. At præter magnam doctorum sanctorumque virorum auctoritatem, quæ ad persuadendum plurimum posse debet, multis etiam argumentis, si, vt par est, ea ponderentur, & attentè considerentur, primæuæ atque omnium antiquissimæ linguæ vtilitas apertè demonstratur; eaque, quam nullus in

Aug. de Doctr. Christ.

August. Epist. 19. ad Hier.

Hier. ad Sun. ut habet dist. 9. c. Ad veterum.

Hieron. Comm. lib. 2. in epist. ad Gall.

quouis

quouis alio linguarum genere interpres assequi possit: ex quibus à nobis hoc loco quædam collecta sunt, quæ candidis ac maturo iudicio præditis lectoribus satisfacere debere existimamus.

1 PRIMVM itaque, quod in aliqua lingua ambiguum verbum est, id non semper ab interpretibus ambiguè reddi potest. qua in re sententiæ, & vocabuli illius significatio non integra, sed manca quodammodo & ex parte tantùm cõuertitur. Atqui cùm huiusmodi aliqua vox, ambigua, scilicet, seu quæ duo significat, in primæua illa lingua vsurpatur, ea Spiritum sanctum sine delectu aliquo vsum non esse, nobis persuademus; & vtramque significationẽ, suam interpretationem postulare; & hac de causa eas voces nobis, vt in vtramque partem eas interpretemur, propositas esse credimus. huius autem rei exempla præter ea quæ passim in nostris scriptis sunt allata, alia, ac plura, Deo dante, posthac à nobis indicabuntur.

2 FIT autem plerumque, vt ea quæ in prima lingua vnum, ac certum aliquid significant, ab interpretibus ambiguè reddantur: rursusque illa è secunda in tertiam linguam conuersa, adhuc magis incertam significationem relinquãt. quod quidem ex quamplurimis exemplis in veteri Bibliorum editione patet: quale illud est in Psalmo centesimo decimo נדבות Græcus enim interpres vertit ἀρχὴ; ex quo Latinus, principium reddidit, cùm vertendũ fuerit, Principatus: qua, nimirum, voce magnum de Christi imperio & auctoritate arcanum continetur.

3 PLERAQVE verò, quæ in primo ipso fonte perspicuam habẽt sententiam, in aliam linguam conuersa, obscuriora fieri cuiuis in linguarum cognitione versato manifestum est. Id verò plerumque accidit vel in iis dictis, in quibus prouerbium aliquod cõtinetur, aut in vocibus communibus, vel in iis verbis quæ ad aliquam artem pertinent. Eæ enim voces quæ in singulis linguis per translationem adhibitæ sunt, rarò in alias linguas translatæ, conuenire solent: vt à nobis sæpius est obseruatum.

4 NEQVE verò, secunda interpretatio, quę à priore manat, eandem habet puritatem atq; elegantiam quam prior: neque etiã ipsa prior editio quę est ex primæuo exemplari expressa, eam habet vim ac vocum proprietatem, quam in ipso primo exemplari agnõscas.

5 HIS & illud accedit, pleraque in primęua lingua non modò tralationibus, sed ceterarum etiam figurarum generibus, ac modis enuntiari, quę vt ab interpretibus pari significationis proprietate, elegantia, & splendore reddãtur, fieri nullo modo potest. Ea enim, in quã transferuntur, lingua huiusmodi dictionum structuram in eadem significatione non admittit: atque huius generis exempla in nostris Commentariis plurima annotauimus, ac plura etiam posthac, Deo permittente, à nobis proferentur.

6 ILLVD autem inter cetera sępius & quotidiano vsu compertum est, tum librariorum, tum etiam Typographorum culpa multos errores tã in Græca, quàm in Latina lingua passim committi, qui nullo modo, nisi ex primæuæ illius linguæ veritate, emendari possunt. Quanta verò integritate sacra Biblia in ea lingua, quæ Sancta appellatur, semper conseruata fuerint (etsi non desunt qui vnius Iustini Martyris opinione adducti aliter sentiunt) plerique doctissimi viri constanter asseuerarunt; idque à nobis etiam quoad efficere poterimus, aliquando etiam demonstrabitur.

7 SÆPIVS autem euenire videmus, vt deprauato hęreticorum ingenio, insigníque malitia, Latina sacrorum Bibliorum interpretatio fœdè corrumpatur, & nouarum interpretationum prætextu, per summum scelus contaminetur, aut etiam (quod sæpissimè accidit) falsa sententię interpretatione peruertatur. Cui malo nullum magis salutare remedium adhiberi potest, quàm si veritas ipsa, primæuę & archetypę illius linguę subsidio confirmata, à scelestorum hominum impietate vindicetur. Si enim prima illa primi ac omnium vetustissimi exemplaris verba cum iis quas isti vsurpant, dictionibus, & peruersa interpretatione attentè conferantur, deprauatio, ac fœditas illico deprehendetur.

8 ILLVD verò prætermittendum non est, sacram, nempe, Scripturam adeò vberem, ac fœcundam esse, vt sępius duplicem sensum in se contineat. quod quidem potissimùm accidit, cùm oratio ex figuris, exornationibus, aut allegoriis constat. quæ quidem fœcunditas nusquam magis quàm in primæua illa lingua, deprehẽdi aut obseruari potest. Quo in genere, illam quę sancta appellata est, linguam ceteris pręstare omnibus, constat: cuius, nimirum,

infinitæ pænè dictiones multiplicem in se significationem continent : quod in quouis alio linguarum genere non inuenias. Atque hac potissimùm de causa eam tanquam omnium fœcundissimam à Deo electam esse, vt diuinorum mysteriorum veluti sacrarium quoddam esset, credendum est.

Mvlta ad hanc rem alia argumenta hoc loco afferri possent, quibus primæua linguarum genera ceteris omnibus, quæ ad ea tanquam interpretes accedunt, dignitate ac præstãtia præcellere, ostendi posset, nisi breuitati studentes, præfationis terminos circunscriberemus, & nisi illud quoque intelligeremus, nihil tãtùm hac in parte à nobis afferri posse, quod cum iis quæ à peritissimis viris de antiquarum linguarum, ac potissimùm de sanctæ illius ac primariæ linguæ vtilitate, dignitate & amplitudine tradita sunt, ne minima quidem ex parte conferri posse. Hisce igitur atque aliis hodierno die quamplures doctissimi ac pientissimi viri, rationibus adducti, nullis nec vigiliis, nec laboribus pepercerunt, vt Hebræa cum Græcis Latinísque coniungerent. qui cùm suorum laborum vtilitatem sibi ex voto successisse animaduerterent, tantum abest, vt eos tantorum laborum pœnituerit, quinimo potius tãti, tamque præclari beneficij, immortales Deo gratias egerunt. Alij verò extiterũt qui aut propter incommoda, quæ tunc temporis esse poterant, aut etiam ob magistrorum penuriam, operis magnitudine deterriti, alienis potius laboribus frui, quàm suorum periculum facere, maluerunt. exoptabant quippè non solùm Hebraicæ linguæ sententiam, verùm vim ipsam verborum, ac figuras, & loquendi proprietates Hebraicas docti alicuius viri diligentia, Latinis verbis quàm aptissimè exprimi; vt hac ratione sacra mysteria ipsis innotescerẽt. Sed cùm animaduerterent quamplurimos hac tempestate interpretes in eo totos esse, vt Biblia Hebræa certatim quàm maximè Latina faciant, id est, Latinitati tantùm studeant; ipsi contra id solùm percupiunt, vt Biblia Hebræa non quàm maximè Latina, sed quàm maximè Hebraica Latinè habeant, id est, vt ab Hebraici sermonis phrasi & proprietate ne transuersum quidem digitum, quod aiunt, discedatur: vt hoc nimirum modo, & assidua illa lectione, diuinorum mysteriorum cognitionem tandem longo vsu sibi familiarem reddant, & viam sibi ad veterem illam sacrorum Bibliorum editionem (quam diligenter correctam ceteris omnibus anteferendam existimamus) sibi patefaciant. 9

Qvo quidem doctorum piorumque virorum desiderio permoti nonnulli linguarum cognitione præditi, sacra Biblia ex Hebræa in Latinam linguam de verbo exprimendi prouinciam alioqui difficillimam susceperunt. Inter quos nullus nostro hoc sæculo, ob maiorẽ operam in hoc negotio consumptam, maiori dignus commendatione habitus est, quàm Santes ille Pagninus, vir ex D. Dominici familia ob insignẽ pietatem, sacræ Theologiæ cognitionem, & summam denique linguarum peritiam maximè conspicuus. Cuius viri Latina ex Hebraica veritate sacrorum librorum interpretatio non paruum candidis Theologis ad sacræ Scripturæ arcana intelligenda adiumentum attulit. 10

Vervm enimuerò cùm nihil simul & inuentum & perfectum sit, neque vna eademque ætas omnia in lucem proferat, neque etiam vnius mente omnia perspici ac peragi possint, non potuit vir ille, licèt ob eximiam doctrinam propè singularis, in re tam ampla, & in ea lingua in qua infinita propè mysteria continentur, ita omnia accuratè diligenterque vidisse, quin aliquid etiam exercitatis ingeniis dispiciendum examinãdumque reliquerit. Plerique igitur eximij illius viri laboribus & doctrina adiuti, nonnulla obseruarunt, quæ minus diligenter (pace tanti viri dixerim) ab ipso animaduersa sunt. Quæ quidem res, licet non magni momenti, siquidem cum ingenti ea, quæ ex eius laboribus percipitur, vtilitate conferatur, nihilominus præbuit occasionem nonnullis, qui potius veritatis quàm altercationis studio ducebantur, vt eam Santis Pagnini Bibliorum interpretationem, vltrà etiam quàm par sit, tum dictis, tum etiam scriptis carperent, his potissimùm adducti rationibus; quarum præcipuæ hæ sunt: pleris; in locis Pagnini interpretationem neque cohærere cum veritate Hebraica, neque satis etiam cum Catholicæ fidei mysteriis conuenire. cuius rei hoc ab illis exemplum indicitur in libro Iob, quo loci nostra editio habet: *Ego scio quòd in nouissimo de terra surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle, & oculi mei conspecturi sunt.* quem locum ita vertit Pagninus: *Et ego noui redemptorẽ meum viuum & nouissimũ, qui super terram surget, & post pellem meam contritam verme contriuerunt hanc carnem & de carne mea videbo Deum, &c.* Cuius interpretationis pars, 11

nis pars, neque cũ fidei nostræ mysteriis, neque cum re ipsa de qua eo loco differitur, rectè quadrat, nisi longa & difficili annotatione addita. Si quæ igitur huiusmodi occurrerent, & obseruari & corrigi omnino debere docti viri censuerunt. Nonnulla insuper, minora illa quidem adnotata sunt: sed quæ tamen frequenter occurrunt, & ad Hebraicæ veritatis examinandę rationem non leuis sunt ponderis ac momenti: Quòd is, videlicet susceptę ex verbo interpretationis nonnunquam oblitus, paraphrastem egerit, vt apud Isaiam: *Superstitione repleti sunt præ Aramæis qui sunt ad Orientem Israelis.* Deinde quòd dictiones quę simpliciter verti debuerant, addita expositione, interpretatus sit, vt eodem loco: *Inscientiis alienis*; cùm vertendum fuerit, *in natis alienis*; quæ interpretatio, nō minus elegantem, quàm certam significationem continet: cùm ex illa altera lector cogatur diuinare. Præterea quòd quædam non necessaria sæpius ab eo adhibita sint; vt eo loco: *In auribus meis sunt, dicit Dominus*, ab eo additum est: *Sunt dicit.* Hæc & his similia, quanquā ea non sunt quæ fidem, ac pietatem offendãt: attamen pro ratione susceptæ ab eo pr ouincię, non satis ad Hebraici textus fidem accuratè examinata, & conuersa, & indicanda & corrigenda esse, viri eruditissimi iudicarunt.

Isa.2. Isa.5.

13 ITAQVE cùm præstantissimum illud, & Christianæ Reipub. adeò necessarium Bibliorum opus antiquis linguis, earúmque interpretationibus, characterum elegantia, omni denique ornatu & splendore illustratum, Philippi Regis auctoritate & liberalitate pararetur: illustrium virorũ iudicio, optima illa, nec vllo pacto prætermittenda occasio fuit, quin maximus ille Apparatus Bibliorum de verbo è veritate Hebraica expressorum accessione cumularetur. Inter cætera verò omnia, illud huius operis à Sante Pagnino editum exemplar vna omnium commendatione approbatum est. Quo quidem summorum Theologorum consilio per nos, quibus totius huius negotij procuratio & executio commissa fuerat, & approbato, & cum Louaniensi Academia communicato, vt ea de re ab ea, quid agẽdū esset, deliberaretur, ac decerneretur, postulauimus. Itaque post maturam hac de re deliberationem, tandem ab eius Academię Theologis in eam sententiam itum est, vt, scilicet, Regium illud opus, hac etiam in parte locupletatum prodiret. Huic autem rei optimè cōsultum fore existimatum est, si Santis Pagnini Interpretatio, veluti omnium tutissima Hebraico textui annecteretur: ita tamen, vt priusquam prælo subiiceretur, à Censoribus Theologis doctissimis, & insigni linguarum cognitione præditis, qui ad omne opus Regium recognoscẽdum electi sunt, prius diligenter examinaretur, vt ab iis, si quid, quod ad sententiæ puritatẽ pertineat, à Pagnino minus animaduersum sit, annotaretur. Qui quidem, collatis inter se tribus ipsius Pagnini exemplaribus, diuersis temporibus in lucem emissis, adhibito etiam eius Dictionario Hebraico, aliísque lucubrationibus & vigiliis, pleraq; loca adnotarũt, quę ipse Pagninus veritatis & sapientiæ amore ductus, aliter quàm in prima editione habebantur, legenda, & tenenda esse, & ingenuè agnouit, & constanter asseuerauit. Quamobrẽ nihil nos ab instituto opere alienum facturos, quin potius publicæ studiosorum vtilitati consulturos, eorúmque desiderio satisfacturos existimauimus, si tũ ex ipsius Pagnini interpretatione, tum etiam ex Hebraicæ locutionis, ac proprietatis diligẽti obseruatione, nouo labore, nouum opus contexeremus, in quo omnes dictiones quàm aptissimè, quoad effici posset (neque enim omnia eodẽ pondere, atque eadem vi, ac proprietate, qua in primæua illa lingua leguntur, vt suprà demonstrauimus, ex ea in aliam linguam trãsferri possunt) de verbo expressæ essent. id autem negotij Censores, pro ea, quam nos habere iudicarunt, linguarum cognitione (quæ quàm sit exigua, ingenuè agnoscimus) nobis committendum cẽsuerunt. Quam quidem curam, etsi ea summis laboribus, ac difficultatibus carere nō videbatur, lubenti tamen atque alacri animo susceptam (nullos enim labores Christianæ Reipub. gratiã ferre ac perpeti nolumus) cum quibusdam linguarum peritissimis viris communicauimus. Porrò communicatis in singulos dies sẽtentiis, ac verbis omnibus, eorúmque modis cæterísque orationis partibus, quàm maximè fieri potuit, ad Latinæ linguæ proprietatẽ examinatis, non pristinam quidem illam Pagnini editionem, sed Hebraicam locutionem simplicissimè redditam in omnibus veteris Testamenti libris, tandem absoluimus. quam quidem nostram interpretationem ipsis Censoribus, atque adeò toti Louaniensi Academiæ probatam, in studiosorum gratiam edi curauimus, eámque Regiis Bibliis adiunximus, atque iñ eorum gratiam, qui eam tantùm postularẽt, vt à reliquo Apparatu separata etiam concin-

naretur,operam dedimus. Hanc certè interpretationem non ſolùm Hebraicæ linguæ ſtudioſis, verùm etiam iis, qui Hebraicam vim, ac proprietatem Latinè cognoſcere cupiunt, vſui maximè fore exiſtimamus.

Iis autem qui in Hebraica lingua vel mediocriter exercitati ſunt, hac noſtra interpretatione ad verbum reddita,propoſito etiam Hebraicę linguæ idiotiſmo,atq; Idiotiſmorum, quos in hac noſtra editione collegimus,addito libello,ſatis à nobis conſultũ eſſe exiſtimamus. Aliis verò,tum ex Lexicis,tum ex Grammatica arte, aliíſque adiumẽtis per nos allatis tantum compendij, facilitatis,ac perſpicuitatis attulimus,vt,ſi modò aſſiduam operam,ac diligentiam ea in re adhibere velint,eam ſibi quatuor,aut ad ſummum,ſex mẽſium ſpatio linguæ Hebraicę cognitionem acquirant,quæ ipſis in ſacræ Scripturæ lectione non parum afferet adiumenti. Dubium enim nõ eſt,quin Deus ſtudium,& labores eorum promoturus ſit, qui in ſacris diuinæ Scripturæ libris intelligendis, quantam poterunt, operam & induſtriam ponent. Totum denique opus ita à nobis concinnatum eſt, vt Pagnini editione in margine,bona fide,collocata,noſtrã interpretationem è verbo expreſſam alio characteris genere,videlicet,Italico,in eius locũ ſubſtituerimus, vt hac,ſcilicet, characterum diuerſitate & notulis in margine adhibitis,quid à nobis aut relictum ſit, aut mutatũ,perſpici poſſit. Noſtris autem laboribus effecimus,vt in cõiungendis Hebraicis dictionibus cum Latinis,nullus iam cuiuſquã poſſit eſſe labor, cùm ſingulis Hebraicis vocibus ſingulæ Latinæ è regione reſpondeant. Ita vt ad ſimilitudinem eorum qui muſicas cãtilenas ſuis notis diſtinctas,iíſque ſubiectas,& annexas vno aſpectu canunt,hic ſimul Hebręa & Latina,vno etiam aſpectu legi,ac ſimul conferri poſſint. Difficilia etiã quorumuis verborum Themata quas radices vocãt,in margine adſcripta ſunt,vt hac ratione Lexica ſeu Dictionaria tutiùs adiri poſſint,ac nullus dubitãdi aut diuinãdi locus relinquatur. Etſi verò illud in primis optãdũ, atq; omnibus ſacræ ſcripturæ ſtudioſis conſulẽdũ eſt, vt ad linguæ Hebraicæ ſtudia ſe conferant:attamen quia pleriſque id,aut per ingenium,aut per otium,aut aliã quamuis ob cauſam nõ licet,illud ab omnibus,qui Latinè ſciunt,præſtari debet,vt,ſcilicet,Hebraicè ſaltem legere diſcant,ſi modò ex hoc libro fructum aliquẽ percipere cupiunt:is verò eſt trium,aut certè quatuor dierum labor,cuius eos certè nunquam pœnitebit. Quia verò qualis & quãta ex noſtris hiſce laboribus vtilitas percipi poſſit, ex diligẽti operis ipſius lectione ſtudioſi abundè cognoſcent, finem tandem faciemus, ac precibus à Deo Opt.Max.omnis ſapientiæ fonte ſupplices petemus, vt eam omnibus Chriſtianis mentẽ iniiciat, qua præditi in eam ſacræ Scripturæ lectionem incumbãt quæ ei ſit gratiſſima; ipſis verò ad cæleſte regnum viam muniat tutiſſimam. Antuerpiæ Calend. Septembr. anno à virginis partu CIↃ. IↃ. LXXI.



BENEDICTI ARIAE MONTANI DE VARIA HEBRAICORVM LIBRORVM SCRIPTIONE ET LECTIONE commentatio.



SACROS libros Hebraicè ſcriptos duplici forma viſere eſt. Quædam enim exemplaria conſonantibus tantùm literis exarata ſunt; atque omnibus vocalibus prorſus carent. quæ deſcribendi ratio antiquiſſima & à Moſe vſque ab omnibus ſcriptoribus obſeruata creditur ad poſteriora ſæcula, vti mox indicabimus.

Alia verò exemplaria, eadémque hoc tempore frequentiora, præter conſonantium litterarum characteres, notas etiam quaſdam habent, partim ſubſcriptas, partim inſcriptas certis pũctis ac virgulis conſtantes, quarum idem in illa lingua vſus eſt, qui vocalium in Latina & in Græca præcipuè, ex his verò notis quædam longas, quędam breues, nonnullæ ſemibreues vocales referunt; atque ſyllabas vnà cum conſonantibus conficiunt. Atque de harum vocalium ſiue notarum antiquitate primíſque inuentoribus *Grammatici certant, & adhuc ſub iudice lis eſt:* aliis ad Eſdræ tempus & diligentiam rem hanc referentibus, aliis ad ſcholam apud Tyberriadem doctorum quondam virorum frequentia celebrem. Vt vt hoc habeat, illud omnibus in conſtanti certóque eſt vocalium notarum inuentionem conſonantibus Hebraicis minimè eſſe coæuam.

Quæ punctis ſiue vocalibus exemplaria carent, variam lectionem admittere poſſunt, idque non promiſcuè & paſſim, verùm quibuſdam in locis ac verbis accidit, ex varia adiunctione vocalium in ſcripto vel pronunciatione. vt ſi quiſpiã his Latinis literis SRPNTM interſerat vocales eee, SERPENTEM efficiet; ſi verò poſtremo loco u ponat, dicet *ſerpentum.*

Verùm enimuerò, cùm illa, de qua agimus, ſacra lingua certas conſtantéſque normas (vt ſi qua maximè) ſeruet, atque grammaticam rationem ſequatur aptiſſimam, in ſcriptura ea quæ ſine vocalibus exarata fuerit, non temerè quaſlibet vocales pro cuiuſque arbitrio admittet, ſed eas tantùm quæ ex vocis ratione & ſignificatione adhiberi poſſunt; perinde atque Latinarum, quas in exemplum adducebamus modò, literarum ratio nullas alias Latinè ſecum patietur, quàm triplicem e, vel e duplicem, & ſimplicem u. Quidquid enim illis literis dixeris, pręter *ſerpentem* vel *ſerpentum*, nihil prorſus Latinè ſignificabit; atque ita nihil tua pronunciatione efficies: vt etiam ſi his literis MSS alias interponamus vocales quàm u, a, vel u, i, nihil omnino, quod Latinum ſonet, legemus. Igitur qui Hebraicæ linguæ peritus eſt, quamcumque literarum coniunctionem conſpexerit, ex grãmaticę artis ratione, omnibus

iis vocalibus inſtruit, quas pro linguę vſu mens concipit, atque ars & norma poſtulat: itaque eaſdem omnino conſonantes nũc in nominis vnius, nunc in alterius, nunc in verbi, interdum aduerbij, aut cuiuſpiam alîus vocabuli formã pũctis addendis definit, ſiue voce ipſa pronuntiat. Sed quodnam verbum, quódue nomen aut vócabulum certum ſtatuere conueniat, ipſa argumenti & adiunctorum verborum atque orationũ ratio indicabit: vt ſi quis ſcriberet, *Sed iam ſr p n t m maior concordia*, apertè cognoſceremus, non *ſerpẽtem*, ſed legendũ eſſe *ſerpentum*. verùm ſi reperiamus: *S r p n t mq́*, *humi c l b r m*, nemo Latinè doctus aliter legerit quàm *Serpentẽ colubrũ*: quidquid enim aliter pronunciabitur, ineptum planè euadet. Atque hoc eſt quod D. Hieronymus docere volebat illis verbis: *Pũcta & vocales adhibentur pro conſequẽtia & arbitrio.* Hæc cùm ita habeant, fieri poteſt, imò ſępè vſu venire videmus, vt eidem conſonãtium numero alij atque alij puncti addantur, qui & variam pronuntiando vocem edant, & interpretando ſignificationem admittant: quę tamen nec temerè nec pręter artem admittenda ſunt. Quęcunque verò his modis fuerint, ſenſum legentibus efficient, quamuis diuerſum non tamen pugnantem: id quod ex variis, cùm apud Latinos & Gręcos, tum apud Chaldæos verſionibus oſtenditur, quæ ex varia earundem conſonantium punctatione & pronuntiatione, intra artis tamen cancellos cohibita, profectę videntur. Ita vt videatur Spiritus ſanctus qui ſacra ſcripta illa in lingua primum illis conſonãtibus citra vocales exarari iuſſerit, ea potius omnia quę varietas illa complectitur, quàm vnam tantùm partem ſignificare voluiſſe: maximè verò cùm in myſteriorum, atque in eam diſciplinam quæ ad pietatem facit, nihil illa pronunciationum & ſignificationum varietas abſurdi inferat, imò contrà potius multum momenti emolumentíque conferat. Iuuen.

DE VARIETATE LECTIONIS *circa conſonantes literas.*

NEC verò in vocalium punctorum aſſignanda ratione tantùm lectionis varietas ſpectari poteſt, ſed in conſonantium literarum ſcriptione nonnulla etiam inuenitur diuerſitas. Vel quia duas conſonãtes affinem ſortiri figuram contigit, vt apud nos in breuiore Latinorum characterũ, quibus vtimur, forma c & e, n & u adeò ſimiles habent figuras, vt nõ rarò alterę pro alteris ſcribendo pingantur. vel in pronunciatione earum, quę vicinum ac tantũ non ſimillimum ſonum referũt, vt m in dictionum finibus, pro quo noſtrates fere omnes n pronuntiando reddunt, ſicut etiam de pro te in verborum fine proferunt: id quod nullis linguis non accidere exiſtimamus. Hoc pacto Gręcorũ Digamma, quod Germani, Saxones, Belgici ac Britanni partim ſimplicem v, partim duplicẽ faciũt, idémque hi durius, illi ſuauius, alij lenius vt liquidum u pronuntiant. Ad hunc itaque modum in Hebraica ſcriptione ac lectione euenit vt ר pro ד, & ה pro ח, ו pro י mutentur, tum ex figurarum ſimilitudine, tum ex ſoni vicinitate, interdum etiam ex conſuetudine pronuntiandi, non rarò autem ex vitio oris eius à quo proferuntur.

Itaque nemo doctus inficias ibit eiuſdem conſonantium complexus ac numeri aliam atque aliam, vel pro literarum ipſarum ratione, vel pro punctationis vſu, pronuntiationis formam eſſe poſſe, ſic tamen vt à certis regulis atque norma, iuxta dialectorũ varietatem, vel pronuntiantis conſuetudinem non diſcedatur. Atque rationem hanc omnem peritioribus ſubductam comprehenſámque eſſe certum exploratúmque eſt.

Vt in iis libris qui ſine vocalibus conſcripti ſunt, certam conſtantémque exem-

exemplarium omnium,tum manuſcriptorum,tum excuſorum ſcriptionem ſimilémque omnino comperimus, ſic in omnibus etiam iis quibus puncta ſunt addita,non aliam cuipiam nec diſcrepantem aliis punctationem obſeruauimus,nec quiſquam eſt qui vllo in loco diuerſa lectionis Hebraicæ exempla ab iis quę circumferuntur,vidiſſe ſe aſſerat,modò grammaticam rationem obſeruatam dicat.Et quidem Dei conſilio ac voluntate factum putamus, vt cùm magna Græcorum Latinorúmque ferè omnium eiuſdem auctoris exemplarium, ac præſertim manuſcriptorum pluribus in locis varietas deprehendatur,magna tamen in omnibus Hebraicis, quæcunque noſtro ſęculo inueniuntur,Bibliis,ſcriptionis æqualitas: ſimilitudo atque conſtantia ſeruetur,quocunque modo ſcripta illa ſint, ſiue ſolis conſonantibus conſtent,ſiue punctis etiam inſtructa viſantur.

In columnarum marginibuș per omnia Biblia, præcipuè verò manuſcripta, annotatiunculæ quædam certis in locis inueniuntur, conſtantes omnino ſibíque per exemplaria omnia conſimiles, quibus indicantur voces aliquæ, quę in ipſo contextu ſunt aliqua ex parte grammaticę normę terminum excedentes, vel in literarum, vel in punctorum, vel in coniugationis vel formę, vel generis varietate,cùm tamen ſic olim ſcripta fuiſſe videantur. Quamobrem, quamquam huiuſmodi notetur varietas, nulli tamen licere dicitur cōtextus ipſius iam diu receptam lectionem mutare: ſed varietas illa non temerè aut præter cauſam inducta creditur & conſeruatur.

Igitur cùm dicimus alium ſic,alium verò ſic legere,non in eam ſententiam accipimus, vt intelligendum ſit de ſcriptura punctis inducta. Nemo enim Hebraicè ſciens aliter legere potuit,atque lectio punctis affecta habebat, omnéſque eundem librum eodem modo legebant, nec fieri aliter potuit vel in vno,vel in pluribus exemplaribus,maximè quòd exemplaria ſibi inuicem conſentire diximus. Verùm illam legendi varietatem in iis libris admittimus,qui ſine punctis fuerint conſcripti. namque in huiuſmodi eidem conſonantium numero alius alia puncta adiungere potuit, non tamen citra Grammaticæ normas,ſi modò linguæ peritus fuerit Hebraicæ.

Illa ſcriptorum frequens adnotatio, *ſcribitur ſic,legitur* verò *ſic*,non id ſignificat videlicet, lectorum vel ſcriptorum arbitrio ſic vel ſic eſſe legendum, ſed id indicat, quod de varia antiqua lectione in margine adnotari dicebamus. Atq.ex huiuſmodi annotationibus varias interpretationes nō inutiliter produci nihil prohibet:ea quippe arcanorum ſcriptorum maieſtas & fœcunditas eſt.

Extat prętereaalius ab antiquis Hebraicorũ Bibliorum ſtudioſis exantlatus labor, magnæque diligentiæ teſtis cui ſcholaſticum nomen eſt MAZORETH, Latinè Exhibitionem dicere poſſumus, in quo omniũ quotquot in vniuerſis Bibliis viſuntur verſuum, vocabulorum & literarũ ſumma ſubducta exhibetur,indicatur præterea quot literis ſinguli libri conſtent, vbinam medium, vbi quarta adnotetur pars, quot præter communem ſcriptionem, maiores, quot minores, quot mediocres literæ, quot etiam permutatę, vt ב pro כ, ר pro ד, ו pro י obſeruentur. de huius autem diligentię origine certi nihil à nobis affirmari poteſt, quam tamen valde antiquam eſſe, Ioſephi aduerſus Appionem grammaticum auctoritas comprobat.Hoc opus vel iuſto volumine conſcriptum circumfertur, cuius elegans apud nos in membranis exemplar eſt, vel in manuſcriptorum Bibliorum ſummo & imo marginibus viſitur. Nam quę in lateribus, ſiue ſecundum columnas adnotantur, eæ ſunt variæ illæ lectiones ſiue pronuntiationes,

de quibus ſuperiùs dicebamus. Atque huius, quàm vocant, MAZZORETH conſtantia & fides exemplarium ipſorum collatione, & ſtudioſorum teſtimoniis commendatur.

De pronuntiationum varietate.

PRONVNTIATIONIS varietas vel in alio atque alio, vel in eodem deprehenditur populo, Perſępe enim vſu venire videmus, vt quę apud vnam regionem vno modo proferuntur, multo aliter in alia enuntientur. Hinc verò Gręcarum dialectorum natum diſcrimen fuit, hinc multarum linguarum ex eadē origine differentia, vt Hiſpanicæ, Gallicæ, Italicę, quę vna ferè (quod verba ſpectat) lingua ſunt, dirimuntur verò diuerſarum vocalium vel earundem conſonantium pronuntiatione, vt *Pan, pain, pane, agua, eau, aqua.* Atque huiuſmodi varietas ex iiſdem ferè conſonantibus diuerſas vel linguas, vel eiuſdem linguæ differentias efficit, ſic vt vna Italica lingua in Genuenſem, Longobardicam, Hetruſcam, Romanam, Neapolitanam, Calabrienſem, Siculam, Bergomenſem, Venetam, Tridentinam, & Pedemontanam diuiditur. Hiſpanica etiam quæ ſic propriè nunc dicitur, in Portogallenſem & Caſtellanam primùm; hæc deinde in ciuiliorem & ruſticiorem, ſiue in nouam ac veterem diſtrahitur. Alij quippe *Principe, iuſtitia, voluntad*: alij *Prencipe, ioſtitia, veluntade* dicunt. Atque ita fit, vt eaſdem conſonantes ISTC. PRNCP. VLNTD. alij aliis vocalibus aſſocient: neque tamen ob eam rem vel corrumpatur lingua, vel ſenſus detrimentum fiat. Apud Latinos hæc pronuntiationum diſcrimina fuiſſe, & Plauti comœdiæ, & veteres Leges, & lapides antiqui teſtantur. Quam quidem ob rem quæcunque linguæ conſonantium literarum præcipuam in ſcribendo rationem habent, vt Orientales antiquæ omnes ferè, nihil ad ſententiæ vſum detrimenti accipiunt, quoquo modo idem vocabulum pro dialectorum forma pronuntietur, vt nihil Caſtellano ſententię perit Portogallenſi ſermone. Atque ita olim, cùm vnus Iſraëliticus eſſet populus, aliæ tribus alias regiones incolentes aliter pronuntiabant; adeò vt ex Siboleth prolatione alij alios deprehenderent, & Petrus ex loquelæ animaduerſione Pontificis miniſtris Galilæus argueretur.

Atque in eiuſdem populi hominibus varia eiuſdem vocis pronũtiatio vel ex neglectione, vel ex linguę labiorúmq; vitio plerumque oritur, cùm quis pro R profert D aut L; pro ce, ze vel ſe; pro M, N; vel pro N, M, vt noſtratum nonnulli *mueſtro* & *moſotros*, pro *noſotros* & *nueſtro* dicunt. Atque hoc pronuntiationis vitium tantum aſſuetudine hęrere valeréque poteſt, vt ſcribendo etiam admittatur, quod & Valentinis iam olim, & Hiſpalenſibus non ita pridem accidit, qui pro *lechugas lichugas*, pro *açotea açutea*, vel, *aſotea, pro moço, çapato, çarça, moſſo, ſapato, ſarſa* pronuntiant.

Ex huiuſmodi in vtroque genere exemplis euenire potuiſſe arbitramur, vt quę aliis aliter in Hebraica lectione pronuntiarentur, aliter etiam ſcriberentur, atque vt ea differentia illa fuerit, quę in marginalibus adnotationibus adſcribitur, in idem ferè recidens cum ea ſcriptura quę in contextu eſt. Nec enim varietas hęc pronuntiationis affinem ſonum tranſilit, ſed intra proximę vocis terminos cohibetur. Nullus quippe (vt puto) pro *parra* dixit *pama* nec *pacca*; ſed dicere potuit *parha*, vel *pala, vel pada*, & pro *corço corſo*, vel *corto*, quo fit vt illa varietas attentiorem lectoris diligentiam fallere non poſſit. Quamobrem huiuſmodi vel MAZZORETH, vel variæ in marginibus lectionis diligentiam, nemo vnquam Hebraicè peritus, qui illius nouerit vſum (quod hactenus intellexerimus) improbauit, immò potiùs doctus

non

non obseruatione atque commendatione dignam duxit.

DE VERSIONVM SIMILITVDINE *& varietate.*

EORVM, qui ex alia in aliam linguam quælibet scripta vel dicta vertunt, duplex esse consilium potest. Namque alij sententiarum pondere perquam fideliter exhibendo intenti, orationi etiam elegantiori operam tribuendam esse arbitrantur. Alij verò orationis eius linguæ in quam vertunt elegantia prætermissa, vocabulorum atque sermonum, ex quibus vertunt, partibus omnibus satisfacere conantur, ne quid legenti non modò sententiarum ac rerum, sed nec verborum quoque & schematũ desideretur, solliciti. Atque hi sic fidorũ interpretũ nomen merentur, vt tamen aliis, qui nõ verba numerare, sed res pondere suo reddere studuerũt, nullam possint laudem eripere. Siquidem quantum hi verborum proprietati deferunt, tantum illi sententiarum perspicuitati attribuunt. Cùm verò vtrumque ab vno præstari eadem opera simplicíque labore non possit, consultum videbitur, si id per plureis, partitis operis efficiatur, & alius verba vt in alia lingua sunt, quoad eius fieri possit, totidem numeris reponat, sententias verò diligenter expendendas & explicandas alius curet.

Cùm verò diuinorum scriptorum auctoritas, maiestas & grauitas omnibus nominibus omníque iure suspicienda sit, nihil profectò operæ, studij, laboris & industriæ est, quod in iis vertendis positum expectari, laudari probaríque non debeat, quippe quorum non solum sensa à Deo demandata & suggesta, sed verba etiam dictata credimus. Quamobrẽ nullã sententiæ partem omitti, nullam etiam verborum & orationis rationem, quoad eius fieri possit, prætermitti fuerit consultissimum; quod cùm per Græcæ vel Latinæ dictionis dissimilitudinem eadem opera confici non posset, effectum est, vt alij sensa diligenter vertendo obseruarẽt, alij etiam verborum simplicitatem sectarentur, atque ex vtrorúmq; labore ac studio simul allato, magnum legentibus & attendẽtibus operæpretiũ fieret. Priorem itaque vertendi rationem optimè omnium quorum in ea re labores extãt, Latinę editionis, quam vulgatam vocant, interpres consecutus est: posteriorem verò nemo ex iis qui nobis hactenus visi sunt, Sante Pagnino melius tractarat, nisi quibusdam in locis vel sonare vellet Latinius quàm Hebraici sermonis proprietas postularet, in aliis verò paraphrastem magis quàm interpretem ageret. Huius autem diligentiam nos imitati, atque pressius etiam secuti, eam quam in prima huius Operis præfatione exposuimus, operam pręstabamus; quámque à nemine hactenus doctorum & candidorum virorum improbari audiuimus, pręter vnum Erostratum, qui Theologorum suę ętatis & superioris ferè omniumlaboribus obtrectare, atque Pagnino in primis apertè bellum indicere, summę sibi, vt existimo, laudi fore sperauit. Is quoniam Pagninum viuum habere non potuit, nostrum pro omnibus aliis nomen proscindendum suscepit, nactus fortassis oportunitatem in quorundam animis & consiliis, qui cùm soli sapere, soli bene viuere, Iesúmq; propiùs insequi & comitari sibi videantur, atque id palàm professi iactitent, me, qui minimum atque adeò inutilem Iesu Christi discipulum ago, odio habuerunt gratis. Atque hi, quòd neminem qui aliàs bene audiat, palàm improbare audent, aliorũ quos ad eam rem occultè inducere possunt, ingeniis & nominibus abutũtur. Horum autem nec artes fallunt, nec gregem prodere, aut cognomen indicare iuuat. Vtuntur quidem illi magno & inaccessibili ad suas agendas res mysterio, sed quod facilè iis qui simplicius apertiúsque agere volunt, pelluceat;

quódque non post multos annos tandem aperiendum est virtute illius, qui illuminabit abscondita cordis, & occulta tenebrarum, tunc laus erit vnicuique secundum opera sua. Sed ad rem ipsam reuertamur.

NEMO Hebraicè doctus est, qui inficias ire possit, Hebraicam linguam in simplicibus etiam verbis multiplicem significationem continere, non illam quidem pugnantem, tamen multiplicem, ídque cum omnibus aliis linguis non ignotum aut nouum sit: huic tamen est notissimum & frequentissimum. Ideò verò videtur Deus veteres libros hac potissimum lingua conscriptos à principio voluisse, qui cùm simplicissima illa immensáque sapientia omnia nouerit, vt multa etiam consilij sui mysteria vnica ac simplici oratione declararet, eam auctor ipse linguam adoptauit, quę prima omnium fuerit, quæque omnium significantissima laudatur. Cęteras námque linguas idem pręstare non posse, manifestius est, quàm vt nostris documentis egeat. Ne tamen graue quicquam sine argumento ponere videamur, vnum satis fuerit adnotare magnæ in sacra lectione auctoritatis locum, at eum ita præmunire, Gręcam linguam verborum splendore & vbertate, & multiplici compositione ac significatione Latinæ præexcellere, nemo vel qui vtramque leuiter degustarit, est qui ambigat. Atqui sacrorum verborum maiestatem, pondus, numerum, & significationis vim Græcè reddi exprimíque posse, Ecclesiastici libri concinnator negat. *Hortor itaque vos*, inquit, *cum beneuolentia & attentiore studio lectionem facere, & veniam habere in illis in quibus videmur sequẽtes imaginem sapientiæ, & deficere in verborum compositione. Nam deficiunt verba Hebraica, quando fuerint translata in alteram linguam. Non autem solùm hæc, sed & ipsa Lex & Prophetæ, cæteráque aliorum librorum non paruam habent differentiam, quando inter se dicũtur.* Ecli. prolog.

Cùm verò sacrorum librorum interpretes, aliarum linguarum peritis hominibus quàm maximè prodesse studuerint, id quod vna opera efficere non poterant, diuiso labore moliti sunt; ita alius aliam eiusdem verbi significationem, alius verò aliam, siue ex varia pũctatione sibi existimata, siue ex simplicitate, siue ex translatione, siue ex multiplicitate, (quam ęquiuocationem vocant Dialectici) exhiberet. Hæ tantum abest vt secum pugnent, vt potius vnà collatæ & consideratæ, magnum lectoribus, vti dicebamus, vsum fructúmque afferant. Iam verò consilij nostri rationem reddendam nobis esse arbitramur.

Cùm institutum nostrum, omnibus ferè studiosis postulantibus, id esset vt Latinam ex verbo translationem ad Apparatus sacri instructionem conferremus, hoc nobis negotij dari putauimus, vt Complutensis exemplaris, quod in toto opere præcipuum secuti fueramus, rationem omnino consequeremur, vt pote cui omnia alia quæ punctis vocalibus instructa sunt exemplaria, adstipulantur. itaque hoc vnum, quàm maxima poteramus diligentia, curauimus. Nec enim aliter citra Romanę Ecclesię iudicium, & doctorum omnium sententiam fieri poterat, sine sacrilegio nefarióque scelere. Sed ecclesiam ipsam minimè permissuram esse, vt aliquid de consueta & cõstanti omnium Hebraicorum exemplarium lectione mutaretur, hoc profectò cum primis intellexeramus, vel ex eo quòd tot iam seculis retrò elapsis, ex quo sermo ille ortus est, quo quęrebatur an aliqua lectioni Hebraicę mutatio Iudæorum vel incuria & inscitia, vel industria & fraude acciderit, nécne: tamen nihil Romana Ecclesia de ea re aduersus eas quę nunc constant, lectiones decernendum duxerit, nihílque decreuerit. Quamobrem huiusmodi audaciam vt planè nobis religiosum id vel cogitare fuerat, ita à mente

omnino nostra alienam fuisse declaramus.

Hoc verò primum, imò hoc vnum atque maximum est quod Erostratus iste in nobis accusat, magnísque clamoribus exagitat, multis etiam conscriptis prologis, multis chartis repletis inculcat: Habere se ex quorundam Gręcorum auctorum lectione loca nonnulla, quæ immutata à Iudæis ferantur, ea nos ex suis commentariis petere debuisse, & in aliam formam referre, literis nonnullis addendis, vocalibus, punctis & aliis figuris variandis. atque ex huiusmodi mutatione locorum illorum interpretationem facere, qualem ipsemet vnus vellet. Atque huiusmodi loca quæ sint, si non omnia, at selectiora maiorísque, vt ipsi videtur, momenti, deinceps referentur, iis omissis quæ prorsus inania sunt. ita adeò, quid ille voluerit, & quemadmodum Regio, illustri atque omnibus seculis admirando Operi incendium molitus fuerit, candidi lectores cognoscent.

AN POST D. HIERONYMI TEMPORA SACRA *scripta fuerint per Iudæos aliquibus in locis consultò deprauata.*

DISPVTATIO hæc tam de libris qui ante D. Hieronymum circumferebantur, quàm de iis qui postea extiterunt, nec nostri muneris, nec huius est loci: in quo de reprehensione & accusatione Erostrati aduersus Pagninum præcipuè agitur: Rem tamen ipsam variè à studiosis nonnullis ventilatam nouimus, ad quorum scripta eos allegandos arbitror, qui huiusmodi controuersiis curiosè delectantur. inter illa verò doctum maturúmque iudicium auctoris commendant, quæ à G. Genebrardo pio, prudente atque eruditissimo viro variis in locis indicata sunt magis quàm ex professo pertractata. Nos verò dum nostrum institutum huiusmodi non fuerit, factum ipsum minimè affirmabimus; ne in illum antiquis omnibus doctis viris vitatum scopulum incidamus, incerta pro certis habere, iísque temere assentiri. Atq; vtut res habeat, Catholicæ Ecclesiæ prudentiā auctoritatémq; perpetuò sequemur, cuius nullum deliberatum aut certum de hac re hactenus extat dedecretum vel iudicium, quamquam identidem argumentum hoc ad singulares disputationes abreptum nouerimus, tamen prudentissima & piissima Romana Ecclesia, nec apicem nec iota vnum de communi Hebraica lectione mutari hactenus passa est, siue libri pūctis instructi fuerint, siue caruerint. Quamobrem magnam in vtriusque generis exemplaribus constantiam visere est, vbicunque illa reperiuntur, tam in Vaticana, quàm in cunctis Italiæ, Græciæ, atque adeò totius Europæ, Asiæ, Africæ, cùm priuatis, tum publicis bibliothecis. Quanta porrò Christianę disciplinæ & pietatis rationibus incommoda atque detrimēta afferre possit huiusmodi disceptatio, à nonnullis in alteram partem contentiosè suscepta, si vrgeatur porrò, nec nos hoc loco ostendemus, nec qui propediem ostendant, defuturos arbitramur. Interim verò dum aliud ab Ecclesia edocti fuerimus, cuius decreta & fidem secuturos nos profitemur, existimamus ac tenemus bona Biblia Hebraica, bona item Gręca, bonáque Latina apud illam esse & fuisse. Atque hoc pacto perniciosissimum Machometanę doctrinę fundamentum euertere studemus, quo seductor ille sua somnia pro diuinis oraculis vēditabat: Asserēs scilicet, veteris Testamenti libros à Iudęis, noui verò à Christianis fuisse deprauatos, sibi verò certa diuinitus data esse responsa, quibus vtraque corrigeretur lectio: quam illius impostoris astutam substructionē Bernardus Bredembachius Viennensis Ecclesię decanus efficacibus argumentis oppugnauit, vir pius & eruditus, eo in libro quem De sua in Syriam peregrinatione ante cen-

tum & quadraginta annos conſcripſit.

Cùm verò nos in hac parte quæ ad variam Hebraicæ linguæ lectionem, atque ad variam ſacrorum librorum interpretationem pertinet, officio noſtro ſatisfeciſſe nobis videamur, Eroſtrati porrò criminationibus reſpõdebimus; cui ſi minus propter ingeniorum ac iudiciorum diuerſitatem ſatisfecerimus, Chriſtiana certè ſedulitate minimè deerimus.

ADVERSVS SECVNDVM SACRI APPARATVS REGIIS BIBLIIS ADIVNCTVM TOMVM, HOC *eſt, Sanctis Pagnini verſionem illam ſtudioſorum opera & diligentia excultam, viri cuiuſdam notæ, cum ſimplici ſingularum notarum dimotione.*

NOTA PRIMA.

Cur in margine illius libri ponuntur ſigna variæ interpretationis Rabbinorum? Apoſtolicæ autem & Euangelicæ tranſlationis, aut lectionis Eccleſiæ nullum ſignum appoſitum videas.

RESPONSIO.

Nullum in vllo libri totius margine Rabbinorum interpretationis ſignũ aut eſt, aut indicari poteſt. Quidquid enim in margine Hebraicis literis viſitur, vel verborũ thema eſt, vel animaduerſio aliqua lectionis, vel punctationis variȩ, quȩ ſecundũ normam in exemplaribus obſeruatur, qua de re in ſuperiori commentatione diſſerebamus. Quod verò de Apoſtolica vel Euangelica lectione ait, ſic excipimus. Neque integrum nec fas nobis fuit ab exemplaribus propoſitis vel punctum, vel minimum apicem variare, neque cuiquam hoc licere arbitramur. Quas verò iſte varias tralationes Apoſtolicas appellat, ad varias punctationes Bibliorum, quȩ ſine punctis legebantur, pertinere oſtendebamus.

NOTA SECVNDA.

1. Pſalmi quinti titulus apud nos eſt, *Pro hæreditate*, aut *pro ea quæ hæreditatem conſequitur.*
2. Noua hȩc editio hunc titulum prȩfert, *Super Nehiloth.*
3. In margine, *Super exercitus.*

RESPONSIO.

In meis Latinis Bibliis vulgatȩ editionis tantum legi, *Pro ea quæ hereditatem conſequitur.* Atque ipſamet tranſlatio ſeſe paraphraſticôs accipiendam exhibet, non reſpondens ex ȩquo vnico Hebraicarum inſcriptionum vocabulo. Nec verò de vulgata verſione hic agimus, quam ipſi obſeruamus perpetuò & obſeruandam ſemper duximus: in qua tamen notator hic duplicẽ lectionẽ indicat, atque idem ipſe, variam vulgatȩ editionis tranſlationem ſtatuit. Verùm quid in hac re accuſet, pernoſcamus. Noua, inquit, hȩc editio hunc titulum, prȩfert, &c.) Pagninus nullum prȩtulit nouum titulum, ſed quem Hebraicè legit, Latinis notis, quoad potuit, exprimebat, ſed quẽ in ipſis Bibliorum exemplaribus omnibus conſecratum obſeruauit, & reliquit. cur verò ſic reliquerit, in cauſa fuiſſe arbitramur varias de his titulis apud Grȩcos & Latinos interpretationes & ſententias. Certè mihi nullum delictum eſſe videtur, id quod in Hebraica lectione Hebrȩis literis conſcriptum eſt, Latinis referre: maximè verò cùm vocabulum id genus fuerit, cuius, prȩterquam hoc loco, exemplum nullum, vel in ſacris libris aliàs, vel apud vllos illius linguȩ ſcriptores reperiatur, cuiúſque ſimplicem interpretationem nulla adiuncta oratio indicet. Quamobrem non abſonum interpreti videbatur,

vocem

vocem vti inuenerat intactam relinquere, & interpretationis rationem ac modum expositoribus permittere, ac neque hoc absque exemplo facere. Siquidem tum antiqui ferè omnes, tum vulgatæ editionis auctor, idem fecere: nec in aliis vocabulis modò, sed etiam in voce huic affini, atque ex eodem themate deductæ. Psal. 62. PRO AMALETH: quam semota pectorali litera, quæ pronuntiari Latinè non potest, ita vt sonare Latinis valebat, reliquit, imitatus etiam interpretes Græcos, qui idem plenius fecerant.

3. Hæc vox הנחילות iis quibus instructa est literis & punctis, semel tantùm in sacris Bibliis inuenitur, nullámque habet grammaticam simplicem similitudinem cum נחלה pro quo Latinè plerumque reddimus *hæreditas*, nec cum huius plurali נחלות. iis verò qui etymologiarum omnino ignari nō sunt, vocabulo חיל maximè videtur affinis, cui litera Iod radicalis est, vt & huic vocabulo נחילות quod ex חיל cum additione literę נ componatur. Cùm verò verbum חיל in sacris libris ducēties tricesies septies legatur, & ex hoc numero à vulgatę Latinę versionis auctore septuagies versum sit nomine *exercitus*, minimè mirandum est, Pagninum germanam etymologiam secutum, atque vulgatam versionem imitatum, scripsisse Latinè, *Super exercitus*, qui tamen nec alteram interpretationem exclusit, nec ostium præclusit iis qui de vocabulo Latino *exercitus* mira volent commentari.

NOTATIO III.

1. In titulo Psalmi noni *Halmuth laben*, apud Septuaginta, *Super occultis filij*; D. Hieronymus reddit, *Super mortem filij*.
2. Noua hæc editio dictionem Hebræam intactam reliquit.
3. In margine ponitur, *Super mortem filij*. Sed quid commune esse potest *Laben* cum *Nebal*?

RESPONSIO.

Hanc inscriptionem à Pagnino sic relictā ob easdem causas arbitror, quas in responsione ad primam notationem referebamus, atque ita loci interpretationem legentium diligentiæ permissam.

Nouum quidem erit, & nullo alio scripturarum sacrarum loco obseruatū exemplum nominis מות cum datiuo casu possessiui loco cōnstructi, ita vt pro למות הבן legatur עלמות לבן ideò verò singularis figura sermonis ita vt sonabat, à Sancte relicta est.

Interpretatio verò, *super mortem Nebal*, aptissima nobis videbatur, atq. iis etiam (ni fallor) videbitur, qui Psalmi totius sententiam attento sanóque iudicio expenderint. Neque enim hîc de iis expositionibus agimus, quæ ex anagogiæ vel allegoriæ varietate afferri à singulis possunt. Quid verò commune esse possit voci *Laben* & *Nebal*, exponam si potero. Antiquæ artis elegantiæque fuit, in iis orationibus vel sermonibus, qui in cuiusquam reprehensionem publicè edebantur (non hîc loquimur de iudicialibus causis) verùm de carminibus, Satyris, Epigrammatis, & huius generis scriptis aliis, eius qui reprehenderetur nomen significari magis quàm scribi. id verò ambage, definitione, descriptione, vel inuersione literarum, syllabarum transpositione, vel alia huiusmodi fiebat dissimulatione, quorum exemplorum apud humanarum disciplinarum professores plenę sunt paginę, vt in Ruffum, in Myrmilionem, in Causidicum quendam. Crispinorum quoque ac Belidarū, Eryphilarum, Nomētanorum & Pantalabi nomina, ad hoc genus referimus, vt ille aiebat, *Parcere nominibus, dicere de vitiis*: ita vt quisquis bene sibi conscius

 esset, nihil

eſſet,nihil de huiuſmodi ſcriptis iure conqueri poſſet. Namque vt publico ſcripto ac libello certa proſcinderentur nomina, primùm communis offenſio cauere cœpit:deinde verò lex prohibuit.

Agricolæ priſci fortes paruóque beati,
Condita poſt frumenta leuantes tempore feſto,
Corpus & ipſum animum ſpe finis dira ferentem,
Tellurem porco, Siluanum lacte piabant,
Floribus & vino Genium memorem breuis æui:
Feſcennina per hunc inuenta licentia morem,
Verſibus alternis opprobria ruſtica fudit,
Libertáſque recurrentes accepta per annos
Luſit amabiliter, donec iam ſæuus apertam Horat. ep.lib.I.
In rabiem verti cœpit iocus, & per honeſtas
Ire domos impunè minax. Doluere cruento
Dente laceſſiti: fuit intactis quoque cura
Conditione ſuper communi. Quin etiam lex
Pœnáque lata, malo quæ nollet carmine quenquã
Deſcribi, vertere modum formidine pœnæ,
Ad bene dicendum delectandúmque redacti.

Hanc rationẽ longè etiam ante Græcorũ elegantias in ſacris libris & carminibus obſeruatam videmus. Sic Dauid Saulem aduerſarium ſuum filium Cis,parum immutato cognomine, prudentiſſimè notabat, dum filium Cus appellaret:eundem quoque pro Biniamini,Iemini dicebat. Idem igitur vates cùm inuidi, ingrati ac maleuoli illius Nebal ſtudia, mores & exitum (illo Pſalmo iuxta ſimplicem quandam interpretationem explicando)canere inſtituiſſet, nomen NEBAL in LABEN iiſdem omnino literis atque ſyllabis ex metatheſi permutauit;ita vt non modò communes, verùm eaſdem literas,eadémque omnino puncta vtrumque habeat, verùm permutata omnia; quæ qui Latinorum Græcorúmque more legerit, alterum pro altero neceſſariò pronuntiabit.Neque verò Hebraicè tantùm, ſed Latinè etiam legenti plura quàm decies decem nomina duplicia indicari poſſunt, quę vel aliqua literarum affinitate, vel communione viciniſſima ſunt, eidémque vel perſonæ vel loco impoſita. vt ON, AVEN; IETHER, IETRO; Ezec.36.
SEMALI, SELAMO; GOSEM, GOSEMO; IESAI, ISAI, NEPVSZIM, Exod.4. Eſdr.2.
NEPIVZZIM; ELISAMAGH, ELISVGHA; GOREN-NEION, GOREN Neem.6.
CHIDON, GETH; MEGETH, SOPHACH; SOBECH, ZINA, ZIZA, NAH- 2.Par.2. Neem.7.
HAS, ISAI, IESE; MAGHACHIA, MICHAIAHV; ELATH, DIALOTH, 2.Reg.5. 2.Reg.6.
& complura alia.Porrò nominibus LABEN & NEBAL per methateſin varia- 2.Reg.8.
tis,valde etiam ſimilia obſeruãtibus reperientur, vt GHAMIEL, ELIGAM; 2.Reg.10. 2.Reg.24.
ZZARAHH, HHARAZZ; BETAHH, TEBHHA; AVARNA, AVARNA; IE- Ierem.22.
CHONIA, IEHOIACHIN.

NOTATIO IIII.

1. Iob cap.19.legitur:*Rurſus circundabor pelle mea.*
2. Hęc editio continet, *Et poſt pellem meam contriuerunt hanc.*
3. Cùm verba hęc neceſſariò ad reſurrectionem referenda ſint:
4. Iudæi putant hoc verbum NAQAF tantum ſignificare Secare & ſcindere.

RESPONSIO.

Quę in cunctis Hebraicis eſt lectio, ſic habet: ואחר עורו נקפו זאת. prò quibus verbis Pagninus numeratò reddebat: *Et poſt pellem meam contriuerunt hanc.* Atque hanc Pagnini verſionem ex verbo factam ita relinquere viſum fuit iis, qui verborum numerum pondúſque æſtimabant.

Fatemur verò in noſtra Verſione vulgata ita eſſe, vt notator citat, atque in illa verſione reſurrectionis myſterium indicari, quam nulli etiam ex Iudęis negant, pręter Sadducęos. Atque ita interpres ille eam rationem ſecutus videtur, quam notator iſte ſępius repetit, nempe ſenſum & non verba reddidiſſe.Nec verò quiſquã certa aliqua ratione cũ verbis penitus quadrãte, euincere

euincere apud eruditos poterit, Hebraica verba perperam à Pagnino fuisse versa, quę tamen nec in vita ad resurrectionem referri possunt.

4. Verbum נקף tantummodo significare Secare & scindere, à nullo Iudęorum, quod sciam, dictum est. Namque hoc verbum sexies tantùm in Hebraicis libris vsurpatum obseruabamus, quinquies apud Isaiam, & semel apud Iob, ídq; à vulgatę editionis Interprete, pro significationis vsu oportunitatéque redditur, seruata tamen Latini sermonis ratione. Iob 26. ex sententiæ causa vertitur *circundabor*, prima singulari persona. Isa. 3. vers. 24. *funiculus*. cap. 11, 33. *subuertere*. cap. 17. 6. *excussio oliuarum*. cap. 24. 15. *oliuæ excutiantur*. cap. 29, 1. *Solemnitates volutæ sunt*. Pagninus non longè discessit à significatione Subuertendi & excutiendi, cùm verteret *contriuerunt*. In Gręcis verò versionibus quę Septuaginta interpretibus adscribuntur, variæ significationis verba pro hoc Hebraico apud Iob in aliis atque aliis exemplaribus inuenire est. vna lectio habet ἀναντλοῦν, *exhauriens, antlans* siue *exantlans*; alias habet ἀνατλοῦν *tolerans* siue *sustinens*: *Pellis mea sustinens hæc*, aliàs *exhauriens hæc*.

ALII *loci notati*.

Iob 19. *Reposita est hæc spes in sinu meo*.

2. Pro hac tralatione Pagninus pręfert: *Defecerunt renes mei in sinu meo*. reprehēsionis ratio, Cur dicit Pagninus defecisse renes in sinu, qui non sunt in sinu? Vocabularium Complutense putat *Chelioth* significare *renes*; docuerat tamen *Chala* verbum, vnde *chelioth* deducitur, inter alia significare id quod Latinè dicitur *Expectare* & *desiderare*. Et verbum Hebręum, pro quo D. Hieronymus vertit *reposita est*, significat *defecit* & *perfecta est*.

Defensio pro Pagnino.

Huius loci reprehensor ipse aliam suam versionem in medium profert, quam ad verbum esse ait: *Hæc desideria mea perfecta sunt in sinu meo*. idem etiam dicit, D. Hieronymum & Septuaginta sensum magis quàm verba reddidisse, *Defecerunt renes mei in sinu meo*. Hęc Pagnini versio est. Verùm hic reprehensor ait, Spiritum sanctum non ita impropriè fuisse locutum. Atqui huiusmodi de Spiritu sancti lingua & sermone disputationes à Porphyriis, Iulianis, & his similibus iniri solent, non à simplicibus & piis Christianis. Nam Spiritus sanctus canit, *Et insuper vsque ad noctem increpuerunt me renes mei*. &, *con-*

psal. 30. *turbatus est spiritus meus, anima mea, & venter meus*. &, *Super hoc venter meus ad Moab quasi cithara sonabit, & viscera mea ad murum cocti lateris*. & plus quàm mille ora-

Isai. 16. tiones huiusmodi tropis diuinus Spiritus enuntiat.

Quod verò ad verbum attinet, ex sex & viginti exemplis, quibus in sacrorum librorum lectione hoc verbum reperitur, vulgatę editionis auctor ad minimū sedecim *renum* nomine reddidit. Sed satis in hac re est ipsum reprehensorem confiteri, non esse impropriè redditum, *defecerunt*. Atqui in sacris libris hoc verbum siue hanc vocem ducenties vigesies nouies legimus, ex his in vulgata Latina editione semel versum est *extendere*, id est definire: *interficere* bis. *filere*, semel. *expectare facere*, semel. *complere*, semel. *delere*, nouies. *tondere vsque ad solum*, semel. *explere*, bis. *complere*, quinquagies ac ter. *atterere*, semel. *secare vsque ad solum*, semel. *tabescere*, semel. *versum esse*, semel. *malum parari*, semel. *cōsumere*, vigesies nouies. *secū voluere*, semel. *cūcta bibere*, semel. *auferre*, ter. *cōterere*, semel. *atterere*, semel. *arescere*, semel. *subuertere penitus*, semel. *euer ere*, semel. *cōficere*, semel. *partiri*, semel. *cōcludere*, semel. *perficere*, quater ac decies. *inuoluere*, semel. *definire*, bis. *ac nihilū redige e*, semel. *cōsūmare*, semel & trigesies. *adducere*. semel. *reponi*

semel.

semel.*finiri opus*,semel.*finire & finis*,decies.*cohibere*,semel.*metere omnia*,bis *internecionem*,semel.*deficere*,septies & vigesies.*disperdere*,semel.*perdere* bis. Atqui ex his quinque & quadraginta Latinis verbis,quibus vulgatæ editionis auctor Hebraici verbi CHALAH significationem vertit,nullum,vt apparet, est, *desiderare* vel *desiderium*,quod notator iste ad verbum reddi posse ait. Ex quibus obseruationibus conficitur, consultius à Pagnino versum in *defecerunt renes mei*, vt pote in vtroque vocabulo vulgatæ editionis exempla secuto, quàm ab isto notatore, qui præter vnum vulgatæ exemplum corrigit, *desideria mea*. Præterea nomen Latinum *sinus*, eam corporis partem significat, quæ inter pectoris brachiorúmque complexum est. hinc verò *vestium laxitas*, atque *complicatio vestium* appellatur *sinus*,ídque Latinis,vt apud Terentium:

Nónne hic amandus? hiccine nónne in sinu gestandus? & illud, Terent. Adelph.

Nuda genu,nodóque sinus collecta fluentes. Virgil. Æneid. lib. 1.

Et, *Inuoluítque sinu.* Nauium etiam vela secundos sinus implere dicimus. Iuuen. sat. 6. At verò Hebraicum vocabulum HEIK propriè vsurpari solet ad eam corporis partem significandam, in qua interiora siue viscera sunt, siue alio nómine membra, quæ à medicis vitalia dicuntur, omnem, inquam, illam partem, tam exterius, quàm interius, ídque quatuor ac triginta sacrorum librorum locis obseruatur,quibus vocabulum hoc reperire est;ex iis verò admodum pauci ad eam significationem referuntur, quàm Latinorum *sinus* propriè exprimit. Sed ita vsu venire solet, vt vnaquæque lingua eas, quas ipsa potest,opes afferat ad alterius reponendam vicem. Hæc corporis pars quam Hebraicè חיק dicimus, omnis ipsa intus & foris Italorum sermone *vita* appellatur.sic enim illi loquuntur,*Hapatito nela vita*, id est, *in visceribus*, vel *circa viscera*. Atque huius obseruationis nostræ ex Latina versione,quam vulgatam appellant,exempla nonnulla subiiciam, Psal. 35. *Et oratio mea in sinu meo conuertetur.* &, *Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum.* &, *Memor esto opprobrij seruorum tuorũ,quod continui in sinu meo.* &, *Abscondit ignem in sinu.* &, *Ira in sinu stulti quiescit.* &, *Reddam & retribuam in sinu eorum iniquitates vestras.* &, *Remetiar opus eorum primum in sinu eorum.* &, *Reddis iniquitatem patrum in sinum eorum post eos* : Idem nomen pro tota rei alicuius profunditate vsurpatur. *In sinu eorum erat cubitus, & cubitus in latitudine : & de sinu terræ vsque ad crepidinem nouissimam, duo cubiti.* Pro exteriore corporis amplexu inter pectus & brachia : *Ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui.* Quin & vnum atque alterum fortasse apud Latinos exemplum reperire possemus huius vocabuli *sinus* pro ea corporis parte vsurpati,quam Itali *vitam* vocant:vt,

Psal. 35. Psal. 79. Psal. 89. Prou. 6. Eccles. 9. Esa. 65. Hier. 32. Ezec. 43. Mich. 7. Æn. 7.

Hinc Dea cæruleis vnum de crinibus anguem
Coniicit,inque sinum præcordia ad intima subdit.

Apparet itaque Pagninum iniustè reprehendi,qui suum propositum vertendi ex verbo in hoc etiam loco tenuerit.

ISAIÆ. 16.

Emitte agnum Domine dominatorem terræ.

Noua hæc editio sic transtulit,*Emittite agnum, Dominator terræ.*

Responsio.

Locus hic ita Hebraicè habet,שלחו כר מושל ארץ quem Pagninus vertebat, *Mittite agnum dominatoris terræ.* Nos verò qui versionis verba ad Hebricam lectionem referre conabamur, cùm nec makaph, nec ה possessiuum, nec aliud

nec aliud genitiui ſignum reperiſſemus, neque etiam את aut ה notificatiuum, quę accuſandi caſum indicare ſolent, Pagnini genitiuo ad marginem relegato, ſubſtituebamus *Dominator.*, quod vocabuli ratio poſtulare videtur, citra cuiuſquam in ſacra lingua exercitati reprehenſionem.

In Græcis libris variè hunc locum verſum legimus. Namque ex duobus exemplaribus excuſis quę nobis ſunt, id quod in Complutenſibus & Regiis Bibliis viſitur, ſic habet, ἀποστελῶ ἀμνὸν κυριεύοντα ἐπὶ τὴν γῆν, *Mittam agnum dominatorem ſuper terram.* Alterum verò ſic, ἀποστελῶ ὡς ἑρπετὰ ἐπὶ τὴν γῆν, *Mittam ſicut ſerpentia ſuperterram.* Ex quo manifeſtè apparet, interpretes Gręcos variandæ interpretationis oportunitati fuiſſe obſecutos: nec Pagninum pręſenti lectioni obſecundantem erraſſe, pręcipuè iiſdem vocabulis cum vulgata Latina vſum, tametſi numeros & modos variare obiecta oculis Hebraica lectio coëgerit.

LOCVS *Daniel. c. 9.*

Noſtra verſio habet, *Et finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio.* Trãſlatio Pagnini, *Et finis eius in inundatione, & vſque ad finem belli deciſæ ſunt deſolationes.*

Reſponſio.

Huius loci ſententiam noſtra verſio Latinè atque eleganter exprimit Hebraici ſermonis figuris sũmotis. Locus verò Hebraicè ſic legitur, וקצו בשטף ועד קץ מלחמה נחרצת שממות quod ſic transferebat Pagninus: *Et finis eius in inundatione, & vſque ad finem belli deciſæ ſunt deſolationes.* Cùm verò verbum, pro quo ille reddit, *deciſæ ſunt*, Hebraicè ſingularis numeri ſit, numero plurali ad marginem tranſlato, ſingularem alio charactere ſubſtituebamus *deciſa*, ſummoto verbo *ſunt*, quod Latinę orationis cauſa Pagninus addiderat.

Ex multis linguæ ſacrę obſeruationibus vna eadémque perelegans eſt, vt ex duobus vocabulis in eadem oratione poſitis, quorum alterum ſingularis, alterum pluralis eſt numeri, id quod pluraliter enuntiatum eſt, cum ſingularium diſtributione explicandum ſit. vt in illo exemplo, *Audite populi omnis ille*, id eſt, omnis populus, & ſinguli ex populo. Itaque hoc loco verba illa, *exciſæ deſolationes*, explicant vrbis Ieruſalem deſolationes omnes atque ſingulas deciſas decretáſq; eſſe, ita vt cum illa apud Euangeliſtam prędictione Chriſti, quadret: *Non relinquetur lapis ſuper lapidem qui non deſtruatur.*

Hebraicum vocabulum שטף, pro quo Pagninus reddebat *inundatione*, quinquies ac trigeſies in ſacris libris repetitur, ídq; ſemper in ſignificatione *inundationis*, vel ſimpliciter, vel per tranſlationem vſurpatum, quod vulgata verſio ſemel interpretatur *obruere*, bis verò *lauare*, bis autem *fluere*, toties *diluuium*, ſemel *curſum imbris vehementis*, bis *demergere*, bis *erumpere*, ſemel *impetu vadere*, ſemel *inundare lauando*, ſemel *imbrem vehementem*, ſemel *pugnare*, ſemel *opprimere*, ſemel *vaſtitas.* Atque in hoc apud Danielem capite ſemel *flumen operire*, quatuordecies *inundare*, ex quibus bis etiam apud eundem vatem *inundare* vertit.

Alterum vocabulum eſt חרץ, cui in vulgata Latina reſpondet *ſtatuta*, in Pagnini verſione *deciſa*: atque hoc in ſacris libris quinquies & vigeſies legitur in verbi forma, octies verò nominis figuram obtinet, ſempérque cùm nomẽ eſt, *auri* ſignificationem habet. Ex exemplis verbi vel verbalis nominis octo apud noſtram vulgatam exponuntur ſignificatione *motus*, ſeptemdecim verò *præciſionis* vel *conſtitutionis*, eodem ſenſu, aliàs *colligere ſpicas remanenteis*, aliàs *formellæ caſei*, *ferrata carpenta*, *decernere*, *lapides cædere*, *breuitas*

tas temporis:abbreuiata consummatio, bis, *abbreuiationis* semel, *serra* semel, *rostra serrantia* semel, *muri excisi* apud Danielem, *statuta, finis, præfinire* apud eũdem. Apud Ioëlem *concisio*, apud Amosum *claustra ferrea*. Atque hæ omnes interpretationes magnam affinitatem habent cum significatione verbi *præcidere ac decidere*, ídque Hebraicè scientibus ipsius verbi simplicitas probat. Ex Græcis, quæ apud me sunt, exemplaribus alterum hoc loco habet, καὶ ἕως τέλους πολέμου συντετμημένον τάξει ἀφανισμοῖς. Alterũ verò, καὶ ἕως συντελείας καὶ σπουδῆς τάξει ἐπὶ ἀφανισμῷ. vt altera versio Hebraici verbi numeros pluralem *&* singularem, altera verò sententiam tantùm obseruasse videatur. Certè vtraque verbum τάξει conseruauit, quod eundem sensum cum Pagnini *decisa*, efficit.

Ex eodem *Daniele. cap. 9.*

Et non erit populus qui eum negaturus est.

Pagnigni translatio, *Et non ei*, in margine *erit*. Ex translatione Septuaginta apparet deesse Hebraicum verbum משפט, id est, *iudicium*. Ex translatione D. Hieronymi apparet duplicem fuisse lectionem, & D. Hieronymum legisse vocem Hebraicam addita vna litera עם שפט, id est, *populus iudicans*. Hæc notator.

Responsio.

In omnibus Hebraicis Bibliis ita constanter legitur, ואין לו, quæ verba ex numero ac pondere hoc solùm Latinè sonant, *Et non ei*, siue *non illi*.

Longè verò similius longéque facilius notator iste repetere posset id quod sæpissimè aliàs inculcat, D. Hieronymum & Septuaginta sensum & non verba reddidisse, quàm quòd ait, apparere nomen משפט deesse, vel fuisse etiam literam ע quæ nunc desideretur: vtrumque enim sine auctore vllo asserit. Deinde quòd Interpres futurum verbum à se inuentum nũquam futurum faceret, *Iudicaturus est*, nam id sine sententiæ dispendio admitti non posset. Præterea non satis etiã esset nomen MISPAT, aut etiam literam ע addere, vt hic vult, nisi etiam Vau litera in verbo שפט adderetur, & Mem clausum in Mem apertum conuerteretur; quæ obseruatio religiosa admodum in illa lingua est. שפט autem non *negare*, sed *iudicare* significat. Pagnino autem præsentem Hebræam lectionem mutare non licuit. Atque hæc lectio variè apud Græcos explicatur.

Locvs *ex Daniel. 9.*

D. Hieronymus vertit, *Et erit in templo abominatio desolationis*. Septuaginta vertunt, *Et in templo abominatio desolationum erit*. Pagninus, *Et super alam abominationum stupefaciens.*

Responsio.

ועל כנף שקיצים משמם Pagninus verterat, *Et super extensionem abominationum admirari faciet*. Nos verò pro *extensionem*, posuimus *alam*. & pro *admirari faciet* verbo futuri, posuimus *stupefaciens*. Pagnini verò mutata vocabula in margine collocauimus.

כנף quinquaginta & quinque locis apud sacros libros reperitur: ex quibus quinquies & quadragies *alam* vulgatę Latinę Interpres vertit. idémque vocabulum pro *additione* siue *extensione* vsurpatur, vt *alas terræ*, *alas Austri*, sed hoc ex figura.

Verbum verò שמם vulgata editio pluribus in locis *stupendi* siue *stupefaciendi* Latino vocabulo reddit, pręcipuè cùm de destructione aut vastatione sermo fit. vt Leu. 26, 31. 4. Reg. 9, 8. 4. Reg. 22, 19. Deuter. 28, 37. Iob 17, 8. & 18, 20, 21. 2 Paralip. 7, 2. Eccles. 7. 16.

LOCVS ex *Habacuq c.2.*

Quia veniens veniet, & non tardabit. D.Paulus aliter aliquantulum : *Quia venturus est,* inquit, *veniet, & non tardabit.* Editio hæc : *Quia veniendo veniet, & non tardabit.*

Responsio.

Eiusdem verbi repetitionem in illa lingua frequentissimam ad rei significatę asseuerationem, vulgata editio sępe pręsenti participio vertit, Lati-
Is.30. niore videlicet oratione, quàm si per infinitiuum reddas: *Miserans miserabitur*
Ier. 31. *tui.* &, *Miserens miserebor eius.* Interdum etiam nomen ex verbo deductum,
Thren.3. participij vel infinitiui loco vulgata editio vsurpat. vt, *Memoria memor ero.*

Atque ex D.Pauli auctoritate, quam notator iste citat, apertè consequitur, non esse necessariam præsentis participij vsurpationem, ad huiusmodi orationem vertendam. Siquidem D.Paulus futuro vsus est cum additione participij. Atqui D.Paulus non agebat interpretem, sed citatorem sacrorum testimoniorum, quæ aliquando ex verbo, sępe ex sententia citabat. Pagninus gerundium vsurpauit infinitiuo verbo affine, Latinioris orationis causa, ne diceret *venire veniet,* vt in Hebręo est.

LOCVS ex *Habacuq c.2.*

Paulus citat iuxta translationem Septuaginta, *Quòd si subtraxerit se, non placebit animæ meæ.* Hęc editio interpretatur, *Ecce elata est,* vel *viri superbi est, non recta anima eius in eo.*

Responsio.

D.Paulus cùm Gręcis Gręcè scriberet, hanc sententiam eo modo citauit, quo in Gręcis exemplaribus legit: vulgatę Latinę editionis auctor Hebraicā lectionem secutus est, הנה עפלה לא ישרה נפשו בו. Atq; ex verbis Hebraicis Latinam orationem cum sententia reddidit.

Pagninus verò cùm verbum Hebraicum femininę vocis Latinè reddere non posset, (nam Latina lingua genera verbis negauit) mutauit genus, additque nomen *viri,* itaque reddidit, *Ecce viri superbi non est recta anima in eo.* Qui modò suā Pagnino operā addidere, Hebraismi conseruandi causa verbi genus, quoad fieri potuit, conseruantes, pro *viri superbi* substituerūt, *elata est.* Atq; ita figuræ & significationi verbi interpretationem aptare videbantur, cùm inter vulgatę Latinę atque Gręcarum editionum varietatem Hebraici verbi figura & simplicitas repetenda duceretur. Atqui verbum עפלה in sacris libris decies inuenitur: plerumque autem elationis atque altæ cuiusdam sub-
2 Paral. limitatis significationem habet: ter verò quemdam Hierosolymis sublimem
27,4.& 33.14.& locum ita appellatum significat, vbi vulgata versio Hebraicum vocabulū
Nehem. reliquit. ex cęteris locis aliquando reddit *tenebræ,* nonnunquam *contenebratus,* aliàs *nebulosa turris,* propter altitudinem. atque hoc Habacuq loco figuratè vertit, *incredulus.* Nos verò ex verbo posuimus *elata,* quia de anima sermo fiebat. Septuaginta per metaphoram interpretati sunt ὑποστείληται.

LOCVS ex *Isaia c.1.*

Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & Gomorræ similes essemus. Pagninus pro *semen* vertit *superstitem,* id est, *superstites, vt parum,* id est *paucos.*

Responsio.

Pagninus pro vocabulo שריד reddiderat *superstites paucos* : verùm quia SARID singularis numeri est, plurali Pagnini ad marginem reiecto, substitutus est singularis numerus *Superstitem.* Cæterùm quod ad Pauli lectionem attinet,

attinet, idem iste notator fatetur Paulum agere paraphastem.

S A R I D septies ac vigesies in sacris legitur scriptis. pro quo vulgata ter *vsque ad internecionem* vertit, nouies verò *reliquiæ*, semel *nihil*, semel *nullum saluari*, semel *relictus*, ter *reliqui*, semel *quicquam*, semel *semen*, bis *remanens*, semel *relinqui*, semel *residuus*, reliqua verò καὶ πείφεχον interpretatur. Atque ita Pagninus Latinum nomen significationi *remanens* siue *reliquus* affine quęrens, *superstites* non perperam inuenisse videtur.

L O C V S *Isaiæ* 9.

Primo tempore alleuiata est.

Hunc locum Septuaginta verterunt, *hoc primum bibe, velociter fac.*

Variè vertit Hieronymus, & longè secus quàm Septuaginta.

Hæc Pagnini editio sic hoc caput distinxit: *Quia non contenebratus ei, qui coarctatus in ea: secundum tempus primum alleuiauit terram Zabulon.*

Responsio.

Ex confessione variæ translationis quam notator hic præfatur, manifestè colligitur, Hebraicam scripturam vocalibus summotis pũctis ostium ad varias interpretationes aperuisse. In Pagnini translatione nulla noua distinctio facta est, sed quę lectio literis & punctis cõstabat, ea fuit religiosè obseruata: כי לא מועף לאשר מוצק לה כעת הראשון הקל ארצה זבולן Hac in oratione duo vocabula sunt, alterum עוף, cui vulgata editio quintuplici significatione respondet, ex his est Iob 10.22. Amos 4.
vna *obtenebrare*, & *obscurescere* & *nebula*. Alterum verò verbum est pro quo vulgata bis reddit *opprimere & vastare*, bis *molestum esse*, bis *in angustia constitui*, bis *arctare*, *angustum* semel, *necessitates* quinquies. *constituere aduersus aliquem*, semel. *angustia* septies, *circumuallare* semel, *obsidere* semel. Huius loci difficultatem ex Hebraismo ortam vulgatæ editionis auctor exprimenda sententia molliebat; Pagninus idem facere conabatur, cui qui suppetias nos ferebamus, Hebraica verba secuti, singulis vocibus Latinas quàm commodissimè potuimus, inscripsimus.

In complutensi exemplari Græco, atque in aliis etiam, diuersa à Latinis vulgatis capitum distinctio est: atque adeò variæ voces in hoc apud Matthæum citato loco leguntur.

L O C V S *Isai. c.* 10.

Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam, consummationem enim & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.

Paulus Rom. 9. scribit *consummans & abbreuians*: vulgata versio habet, *& abbreuiationem*, Pagninus, *& decisam.*

Responsio.

Pagninus eodẽ vocabulo vsus est cum vulgata editione, *consummationem decisam*, in abstracto, vt dici solet.

Verbum נחרצה participium est passiuæ vocis vel pręteritum, & quia ad pręteriti significationem referri non potest, sed ad futurum vel ad præsens, à Pagnino participij forma translatum est. Iam verò in iis quæ pręcesserunt indicabamus, hoc verbum in vulgata editione decies translatum esse in significatione *Decidendi, concidendi*, ac *definiendi.*

L O C V S ex *Iob c.* 19.

Credo quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo de terra surrecturus sum.

Pagninus vertit: *Et ego noui redemptorem meum, & nouissimo super puluerem staturum.*

Dicet quispiam sic in Hebraico esse, fateor, sed si Pagninus mutauisset Vau in Iod, & pro IAKVM scriberet IAKIM: : tunc poterat vertere, *super*

terram

terram surgere faciet,id est,suscitabit omnes.

Responsio.

Pagnino,vt iam suo loco diximus,nec libuit nec licuit mutare lectionem Hebraicam.

Verbum verò,*staturum*,siue *stabit*,legendum esse in futuro tempore, tertia persona singularis numeri,etiam Græci Interpretes docuerunt,ἐπὶ γῆς ἀναστήσεται. Quò autem Pagninus neutro genere verterit *staturum*,id ex obseruatione Hebraicę orationis fecit,in qua nomen עוֹר, pro quo Latinus reddere solet *pellis*,masculini generis est.Loci autem difficultas Hebraicè scientibus nulla est.cùm enim Iob resurrectionem suam futuram crederet,elegante illius linguę schemate confessus pronũciauit.Quippe vt apud Latinos *cuticula*,siue *cutis* pro toto corpore vsurpatur, sic apud Hebræos, atque adeò apud Iob, vocabulum עוֹר,vt,*pellem pro pelle dabit homo*. Confessus itaque fidem suam Iob,ait,*Scio nouißimò super puluerum staturum*.quid verò staturum esset, continuò exposuit;*hanc pellem meam,postquam contriuerint*. Quòd si loco *pellis* Pagninus verteret *corium*,nulla in grammatica difficultas esset. Sed non idem Latinis *corium* atque *pellis* propriè significat: quamquam existimem Latinum nomẽ *corium* ex Hebraico GHOR factum.in Gręca versione oratio hęc aptè admodum reddita est,ἀναστήσεται τὸ δέρμα μου.

LOCVS *ex Isa.c.28:*

In loquela labij,aut,vt Septuaginta verterunt,*per verbum labiorum*. Hebraicè non est legendum I.AAGE,sed LAACE,quod significat *barbara lingua loqui.*

Pagninus pręfert,*In blæsitatibus labij*.& vbi Hieronymus vertit,*manda,remãda,expecta,reexpecta*,vertit hec,*præceptum ad præceptum,linea ad lineam.*

Responsio.

Nullius vsquam Hebraici exemplaris auctoritate docere potest notator iste legendum esse LAACE.quod si maximè,vt is vult,inueniretur,quidnam admirabilioris sententiæ produceretur ex illo,*in barbarismis labij*,quàm ex illo,*in blæsitatibus labij?*

Cùm nulla Hebręis nota sit,quę Latinę pręposition RE vim referat in compositione:nec imperatiuus Hebraicus cum ל seruili adiuncto vsquam obseruetur,duo illa repetita Hebraica vocabula צו לצו קו לקו,quę nominis formam obtinent,cum articulo datiui siue accusatiui casus,Pagninus ita vertebat ex verbo,*Præceptum ad præceptum,linea ad lineam*. Noster verò vulgatę editionis Interpretes non verborum figuras religiosè semper, sed sententiam reddendam susceperat.

Verbum צוה ex quo nomen צו factum est, pluribus quàm quingentis & quadraginta exemplis in sacra lectione reperitur,& perpetuò à vulgatę versionis auctore *præcipiendi,mandandi*,atque *imperandi* significatione redditur. Alterum verò קו vocabulum vulgata versio interdum *resticulam,funiculum, lineã, mensuram ædificationis,normam lignarij* siue *rubricam,normam mensuræ*, & *perpendiculum* exponit.Non ergo malè vertisse Pagninus censendus est, cùm pro sententię ratione *lineam* vertit,quod & vulgatę auctor facit.

DE TITVLO PSALMI,
Pro torcularibus.

In Pagnini versione non extat titulus,*Pro torcularibus*,in Psalterio:causa autem est quòd Vau sit mutata in Iod,nam pro GITHOTH legitur Hebraicè GITHITH.

Primum nullo teste affirmat hãc literarũ mutationem inHebraicis libris fuisse factam. Deinde verò si maximè notator hic factam docuisset, tamen Pagnino nefas duceretur, pręsentem omnium exemplarium lectionem immutare. Sed quia vocabulum GITHITH eiusmodi significationem Latinam admittere potest, eam in margine etiam adnotare placuit ex Pagnini emendationibus desumptam, vt in Psal.8. videre est.

LOCVS, *ex Isa.*11.

Et flos de radice eius ascendet. In hac editione pro *flore* versum est *surculus*. in margine est *germen*. Tanti fuit negotij vni literæ addere virgulam vnam, vt ex Res fieret He?

Responsio.

Hebraicum nomen נצר ad plantas propriè refertur, atque Latinè *germen* siue *surculum* significat: Hispanicè *Pimpollo, o bastago*. hoc autem notator iste minimè inficiatur, sed ait non fuisse magni negotij vnam literam ex Hebraica lectione mutare. certè Pagnino minimè sacrilego viro eximiæque religionis maximi negotij hoc fuisset. D.Hieronymus hoc loco נצר agnoscit (& non נצה, vt iste mutatum vellet) atque ex hoc vocabulo adstruere conatur illud *Nazaræus vocabitur.*

DE TITVLIS PSALMORVM,

Pro his qui immutantur.

Vbi fuerat vocabulum SNIM *sonim*, quod significaret *immutatos*, positum est SSNIM *sosanim*, quod significat *lilia*, & ita inuenitur in hac editione.

Responsio.

Ait iste, verùm non docet vocabulum fuisse immutatum. Complutensis editio *Pro liliis* Latinè habet, atque ita etiam in D.Hieronymi Psalterio legimus.

LOCVS *ex Psal.*15.

Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Hęc editio habet, *misericordem tuum videre foueam.*

Responsio.

Pagninus vertebat: *Non dabis misericordem tuum vt videat corruptionem.* Latinum vocabulum *misericordem* reddidit pro Hebraico HHAZZID, vt distingueret à KADOS, pro quo vulgata editio ferè semper vertit *sanctus*. Nec verò notator iste inficias it, HHAZZID Hebraicè significare *misericordem*, sed ait inHebraico pro KADOS legi HHAZZID. Quod si ita est, quid quęso Pagninus errauit, quidve notatur?

Vocabulum SAHHATH, pro quo Pagninus cum vulgata vertit *corruptionem*, qui verò Pagnini labori suam contulerunt operam posuerunt *foueam*, idem in vulgata semel vertitur *sordes*, octies *corruptio*, semel *putredo*, *interitus* octies, *fouea* nouies, *interitio* bis, *internecio* semel, *inhabitabilis* semel, *fabulationes* semel, *peccata* semel, *rete* semel. Itaque nouem ex vulgata editione exemplis vocabulum hoc *foueam* significare docemur, hoc est, foueam in qua corruptio vel destructio accidat, id quod vulgata versio declarat, atque etiam vocabulum in margine huius versionis ex Pagnino positum. Atqui verissimum est, Christum non vidisse foueam corruptionis causa paratam, hoc est, fouęę euentum non vidisse, quod & verbum eodem in versu positũ

ostendit:

oſtendit: *non derelinques*, &c.

LOCVS ex *Pſal*. 8.

Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. Omnes noui interpretes pro *laudem* vertunt *potentiam*, *fortitudinem*. ſed intelliget vir doctus mutatam eſſe vocem Hebręam, & pro GHOZ legendum eſſe ROM.

Reſponſio.

Nomen, *laus*, etiam ad *potentiam* & *fortitudinem* ſignificandam transfertur. itaque rectè vertit Pagninus, & vulgatę etiam editionis auctor vertit rectè ex translatione.

GHOZ pro ROM fuiſſe ſubſtitutum, nullo documento affirmat notator. Nec ROM propriè *laudem* ſignificat, ſed *altitudinem*, *elationem*, & ſimilia.

HOC *commentationis volumen ſecundo ſacri Apparatus tomo addendum, Benedictus Arias Montanus à ſe conſcriptum, legitimis librorum Eccleſiaſticis Cenſoribus examinandum, corrigendum & iudicandum offert, vt cætera omnia quæcunque ipſius nomine in lucem prodierint. Datum in Rupe Aracenenſi, Calend. April.* M. D. LXXXI.

Benedictus Arias Montanus.

בראשית.

LIBER GENESIS,

HEBRAICE BERESITH, ID EST,

In principio, cum versione Santis Pagnini,

ad Hebraicam phrasin diligenter examinata.

Devs creauit principio In



1 בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים

. terram & cælos

אֵת הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ׃

solitudo erat terra Et

2 וְהָאָרֶץ a הָיְתָה b תֹהוּ — a הָיָה

facies super caligo & : inanitas & — tenebræ in superficie

c וָבֹהוּ וְחֹשֶׁךְ עַל־פְּנֵי — b תהה

.aquarum facies super motabat † Dei spiritus & : abyssi — c בהה

d תְהוֹם וְרוּחַ אֱלֹהִים מְרַחֶפֶת עַל־e פְּנֵי הַמָּיִם׃ — † flabat

vidit Et .lux fuit Et .lux Sit : Deus dixit Et — d תהם

3 וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים f יְהִי אוֹר וַיְהִי־אוֹר׃ g וַיַּרְא — e פנה f היה

inter Deus diuisit & : bona ‡ quod , lucem Deus — ‡ esset

4 אֱלֹהִים אֶת־הָאוֹר כִּי־טוֹב וַיַּבְדֵּל אֱלֹהִים בֵּין — g ראה

Deus vocauit Et .tenebras inter & lucem

5 הָאוֹר וּבֵין הַחֹשֶׁךְ׃ וַיִּקְרָא אֱלֹהִים ׀

,vespera fuit Et .noctem vocauit tenebras & ,diem lucem

לָאוֹר יוֹם וְלַחֹשֶׁךְ קָרָא לָיְלָה וַיְהִי־עֶרֶב

expansio Sit : Deus dixit Et .vnus dies ,manè fuit & — firmamentum

6 וַיְהִי־בֹקֶר יוֹם אֶחָד׃ וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים יְהִי רָקִיעַ

.aquas ad aquas inter diuidens sit & ,aquarum medio in — diuidat aquas ab aquis. firmamentum

בְּתוֹךְ הַמָּיִם וִיהִי מַבְדִּיל בֵּין מַיִם לָמָיִם׃

aquas inter diuisit & , expansionem Deus fecit Et

7 h וַיַּעַשׂ אֱלֹהִים אֶת־הָרָקִיעַ וַיַּבְדֵּל בֵּין הַמַּיִם — h עשה

super ‡ quæ aquas inter & ,expansionem subter † quæ — † erant ‡ erant

אֲשֶׁר מִתַּחַת לָרָקִיעַ וּבֵין הַמַּיִם אֲשֶׁר מֵעַל

Deus vocauit Et .ita fuit Et .expansionem

8 לָרָקִיעַ וַיְהִי־כֵן׃ וַיִּקְרָא אֱלֹהִים

dies ,mane fuit &, vespera fuit Et .cælos expansionem

לָרָקִיעַ שָׁמָיִם וַיְהִי־עֶרֶב וַיְהִי־בֹקֶר יוֹם

sub de* aquæ Congregentur : Deus dixit Et .secundus — * quæ sunt

9 שֵׁנִי׃ i וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים k יִקָּווּ הַמַּיִם מִתַּחַת — i שנה

fuit Et .arida appareas & ‡ ,vnum locum ad cælis — k קוה

הַשָּׁמַיִם אֶל־l מָקוֹם אֶחָד וְתֵרָאֶה הַיַּבָּשָׁה וַיְהִי־ — ‡ vt conspicitur

congregationem & ; terram ,aridam Deus vocauit Et — l קום

10 כֵן׃ וַיִּקְרָא אֱלֹהִים ׀ לַיַּבָּשָׁה אֶרֶץ וּלְמִקְוֵה — * esset

.bonum quod Deus vidit Et .maria appellauit aquarum

הַמַּיִם קָרָא יַמִּים וַיַּרְא אֱלֹהִים כִּי־טוֹב׃

herbam ,germen terra Germinet : Deus dixit Et

11 וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים תַּדְשֵׁא הָאָרֶץ דֶּשֶׁא עֵשֶׂב

fructum facientem fructus arborem , semen seminificantem — fructiferam

מַזְרִיעַ זֶרַע עֵץ m פְּרִי עֹשֶׂה פְּרִי — m פרה

.ita fuit Et .terram super ea in eius semen cuius , suæ speciei

לְמִינוֹ אֲשֶׁר זַרְעוֹ־בוֹ עַל־הָאָרֶץ וַיְהִי־כֵן׃

semen seminificantem herbam , germen terra protulit Et

12 n וַתּוֹצֵא הָאָרֶץ דֶּשֶׁא עֵשֶׂב מַזְרִיעַ זֶרַע — n יצא

ea in semen cuius fructum facientem arborem & ,sua specie in

לְמִינֵהוּ וְעֵץ עֹשֶׂה־פְּרִי אֲשֶׁר זַרְעוֹ־בוֹ

fuit Et .bonum ‡ quod Deus vidit Et .sua specie in — ‡ esset

13 לְמִינֵהוּ וַיַּרְא אֱלֹהִים כִּי־טוֹב׃ וַיְהִי־

: Deus dixit Et .tertius dies ,mane fuit & vespera

14 עֶרֶב וַיְהִי־בֹקֶר יוֹם שְׁלִישִׁי׃ וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים

diuidendum ad ,cælorum expansione in luminaria Sint

יְהִי o מְאֹרֹת בִּרְקִיעַ הַשָּׁמַיִם לְהַבְדִּיל — o אור

tempora & signa in sint & noctem inter & diem inter

בֵּין הַיּוֹם וּבֵין הַלָּיְלָה וְהָיוּ p לְאֹתֹת q וּלְמוֹעֲדִים — p אות q יעד

expansione in luminaria in sint & ,annos & ,dies &

15 וּלְיָמִים r וְשָׁנִים׃ וְהָיוּ לִמְאוֹרֹת בִּרְקִיעַ — r יום שנה

.ita fuit Et .terram super illuminandum ad cælorum

הַשָּׁמַיִם s לְהָאִיר עַל־הָאָרֶץ וַיְהִי־כֵן׃ — s אור

: magna luminaria duo Deus fecit Et

16 וַיַּעַשׂ אֱלֹהִים אֶת־שְׁנֵי הַמְּאֹרֹת הַגְּדֹלִים

& ,diei dominium ad maius luminare

אֶת־הַמָּאוֹר הַגָּדֹל לְמֶמְשֶׁלֶת הַיּוֹם וְאֶת־

.stellas & , noctis dominium ad minus luminare

הַמָּאוֹר הַקָּטֹן לְמֶמְשֶׁלֶת הַלַּיְלָה וְאֵת הַכּוֹכָבִים׃

illuminandum ad ,cæli expansione in Deus eas posuit Et

17 וַיִּתֵּן אֹתָם אֱלֹהִים בִּרְקִיעַ הַשָּׁמָיִם לְהָאִיר

,noctem in & die in dominandum ad Et .terram super

18 עַל־הָאָרֶץ׃ וְלִמְשֹׁל בַּיּוֹם וּבַלַּיְלָה

vidit Et .tenebras inter & lucem inter diuidendum ad &

וּלְהַבְדִּיל בֵּין הָאוֹר וּבֵין הַחֹשֶׁךְ וַיַּרְא — † esset

, mane fuit & ,vespera fuit Et .bonum † quod Deus

19 אֱלֹהִים כִּי־טוֹב׃ וַיְהִי־עֶרֶב וַיְהִי־בֹקֶר

aquæ Reptificent : Deus dixit Et .quartus dies

20 יוֹם רְבִיעִי׃ וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים יִשְׁרְצוּ הַמַּיִם

super terram super volet volatile & : viuentis animæ reptile

שֶׁרֶץ נֶפֶשׁ חַיָּה וְעוֹף יְעוֹפֵף עַל־הָאָרֶץ עַל־

Deus creauit Et .cælorum expansionis facies

21 פְּנֵי רְקִיעַ הַשָּׁמָיִם׃ וַיִּבְרָא אֱלֹהִים

viuentem animam omnem & ,magnos cetos

אֶת־הַתַּנִּינִם הַגְּדֹלִים וְאֵת כָּל־נֶפֶשׁ הַחַיָּה ׀

& ,sua specie in aquæ fecerunt repere quam repentem

הָרֹמֶשֶׂת אֲשֶׁר שָׁרְצוּ הַמַּיִם לְמִינֵהֶם וְאֵת

quod Deus vidit Et .sua specie in alatum volatile omne

כָּל־עוֹף כָּנָף לְמִינֵהוּ וַיַּרְא אֱלֹהִים כִּי־

Crescite : dicendo , Deus eis benedixit Et .bonum

22 טוֹב׃ וַיְבָרֶךְ אֹתָם אֱלֹהִים לֵאמֹר a פְּרוּ — a פָּרָה

volatile & : maribus in aquas replete & multiplicamini &

b וּרְבוּ וּמִלְאוּ אֶת־הַמַּיִם c בַּיַּמִּים וְהָעוֹף — b רָבָה c יָם

fuit & vespera fuit Et .terra in se multiplicet

23 יִרֶב בָּאָרֶץ׃ וַיְהִי־עֶרֶב וַיְהִי־

Producat : Deus dixit Et .quintus dies ,mane

24 בֹקֶר יוֹם חֲמִישִׁי׃ וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים תּוֹצֵא — צָמַח

iumentum ,suam speciem ad viuentem animam terra

הָאָרֶץ נֶפֶשׁ חַיָּה לְמִינָהּ בְּהֵמָה — bestias

.ita fuit Et.sua specie secundum terræ feram & reptile &

וָרֶמֶשׂ d וְחַיְתוֹ־אֶרֶץ לְמִינָהּ וַיְהִי־כֵן׃ — d חַיָּה bestias

& ,sua specie secundum terræ feram Deus fecit Et

25 וַיַּעַשׂ אֱלֹהִים אֶת־חַיַּת הָאָרֶץ לְמִינָהּ וְאֶת־ — חַיּוֹת בָּרָא

terræ reptile omne & ,sua speciem secundum iumentum

הַבְּהֵמָה לְמִינָהּ וְאֵת כָּל־רֶמֶשׂ הָאֲדָמָה

dixit Et .bonum quod Deus vidit Et .suam speciem ad

26 לְמִינֵהוּ וַיַּרְא אֱלֹהִים כִּי־טוֹב׃ וַיֹּאמֶר

, nostra imagine in hominem Faciamus : Deus — ad imaginem nostram

אֱלֹהִים נַעֲשֶׂה אָדָם בְּצַלְמֵנוּ

maris pisces in dnentur & , nostram similitudinem secundum

e כִּדְמוּתֵנוּ f וְיִרְדּוּ g בִדְגַת הַיָּם — e דָּמָה f רָדָה

,terram omne in & iumentum in & ,cæli volatile in & — g דָּגָה

27 וּבְעוֹף הַשָּׁמַיִם וּבַבְּהֵמָה וּבְכָל־הָאָרֶץ

creauit Et .terram super reptans reptile omne in &

וּבְכָל־הָרֶמֶשׂ הָרֹמֵשׂ עַל־הָאָרֶץ׃ וַיִּבְרָא

Dei imagine in ,sua imagine in hominem Deus — ad imaginem suam; ad imaginem

אֱלֹהִים ׀ אֶת־הָאָדָם בְּצַלְמוֹ בְּצֶלֶם אֱלֹהִים

.eos creauit fœminam & masculum ; illum creauit

בָּרָא אֹתוֹ זָכָר וּנְקֵבָה בָּרָא אֹתָם׃

: Deus eos ad dixit & ,Deus eis benedixit Et

28 וַיְבָרֶךְ אֹתָם אֱלֹהִים וַיֹּאמֶר לָהֶם אֱלֹהִים

,terram replete & ,vos multiplicate & Crescite

פְּרוּ וּרְבוּ וּמִלְאוּ אֶת־הָאָרֶץ

volatile in & ,maris pisces in dominamini & : eam subjicite &

וְכִבְשֻׁהָ וּרְדוּ בִּדְגַת הַיָּם וּבְעוֹף

.terram super reptantem bestiam omnem in & ,cæli

הַשָּׁמַיִם וּבְכָל־חַיָּה הָרֹמֶשֶׂת עַל־הָאָרֶץ׃

herbam omnem vobis dedi Ecce : Deus dixit Et
29 וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים הִנֵּה נָתַתִּי לָכֶם אֶת־כָּל־עֵשֶׂב ׀ נתן [a]
ś terræ omnis superficie in quæ semen seminificantem
זֹרֵעַ זֶרַע אֲשֶׁר עַל־פְּנֵי כָל־הָאָרֶץ ‡ est
seminificās arboris fructus ‡ qua in arborem omnem &
וְאֶת־כָּל־הָעֵץ אֲשֶׁר־בּוֹ פְרִי־עֵץ זֹרֵעַ
bestiæ omni Et .escam in erit vobis : semen
30 זָרַע לָכֶם יִהְיֶה לְאָכְלָה׃ וּלְכָל־חַיַּת
super reptanti omni & , cælorum volatili omni & , terræ
הָאָרֶץ וּלְכָל־עוֹף הַשָּׁמַיִם וּלְכֹל ׀ רוֹמֵשׂ עַל־
herbæ olus omne , viuens anima quo in terram
הָאָרֶץ אֲשֶׁר־בּוֹ נֶפֶשׁ חַיָּה אֶת־כָּל־יֶרֶק עֵשֶׂב
quod omne Deus vidit Et .ita fuit & .escam in
31 לְאָכְלָה וַיְהִי־כֵן׃ וַיַּרְא אֱלֹהִים אֶת־כָּל־אֲשֶׁר
, mane fuit & vespera fuit & : valde bonum ecce & , fecerat
עָשָׂה וְהִנֵּה־טוֹב מְאֹד וַיְהִי־עֶרֶב וַיְהִי־בֹקֶר
.sextus dies
יוֹם הַשִּׁשִּׁי׃

CAP. II. ב

.eorū exercitus omnis & , terra & cæli sunt perfecti Et
1 וַיְכֻלּוּ הַשָּׁמַיִם וְהָאָרֶץ וְכָל־צְבָאָם׃ כלה [b]
quod suum opus septimo die in Deus perfecit Et
2 וַיְכַל אֱלֹהִים בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי מְלַאכְתּוֹ אֲשֶׁר לאך [c]
quod suo opere omni ab septimo die in requieuit & fecerat
עָשָׂה וַיִּשְׁבֹּת בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי מִכָּל־מְלַאכְתּוֹ אֲשֶׁר
, septimo diei Deus benedixit Et .fecerat
3 עָשָׂה׃ וַיְבָרֶךְ אֱלֹהִים אֶת־יוֹם הַשְּׁבִיעִי
, suo opere omni ab requieuerat eo in quia : illum sanctificauit &
וַיְקַדֵּשׁ אֹתוֹ כִּי בוֹ שָׁבַת מִכָּל־מְלַאכְתּוֹ
generationes Istę .faceret vt Deus creauerat quod
4 אֲשֶׁר־בָּרָא אֱלֹהִים לַעֲשׂוֹת׃ אֵלֶּה ‡ תוֹלְדוֹת עשה [d]
Dñs facere ‡ die in ea creari in † , terræ & cæli
הַשָּׁמַיִם וְהָאָרֶץ בְּהִבָּרְאָם בְּיוֹם עֲשׂוֹת יְהוָה ילד [e]
, agri virgultū omne Et .cælum & terram Deus
5 אֱלֹהִים אֶרֶץ וְשָׁמָיִם׃ וְכֹל ׀ שִׂיחַ הַשָּׂדֶה † quando creati sunt ‡ quo fecit
agri herbam omnem & , terra in esset antequam
טֶרֶם יִהְיֶה בָאָרֶץ וְכָל־עֵשֶׂב הַשָּׂדֶה הזעיר שדה
Deus Dominus fecit pluere non quia : orietur antequam
טֶרֶם יִצְמָח כִּי לֹא הִמְטִיר יְהוָה אֱלֹהִים
.terram colendam ad erat nō homo & , terram super
עַל־הָאָרֶץ וְאָדָם אַיִן לַעֲבֹד אֶת־הָאֲדָמָה׃ qui coleret
irrigabat & , terra de ascendebat vapor Et
6 וְאֵד יַעֲלֶה מִן־הָאָרֶץ וְהִשְׁקָה
Dominus formauit Et . terræ faciem vniuersam
7 אֶת־כָּל־פְּנֵי־הָאֲדָמָה׃ וַיִּיצֶר יְהוָה פנה [f] ê puluere terræ
inspirauit & , terra de puluerem hominem Deus
אֱלֹהִים אֶת־הָאָדָם עָפָר מִן־הָאֲדָמָה וַיִּפַּח נפח [g]
animā in homo fuit & ; vitæ spiraculum eius faciem in
בְּאַפָּיו נִשְׁמַת חַיִּים וַיְהִי הָאָדָם לְנֶפֶשׁ
Heden in hortū Deus Dominus plantauit Et .viuentem
8 חַיָּה׃ וַיִּטַּע יְהוָה אֱלֹהִים גַּן־בְּעֵדֶן נטע [h]
.formauit quem , hominem ibi posuit & ; oriente ab
מִקֶּדֶם וַיָּשֶׂם שָׁם אֶת־הָאָדָם אֲשֶׁר יָצָר׃
terra è Deus Dominus fecit germinare Et
9 וַיַּצְמַח יְהוָה אֱלֹהִים מִן־הָאֲדָמָה
bonam & visum ad concupiscibilem arborem omnem
כָּל־עֵץ נֶחְמָד לְמַרְאֶה וְטוֹב visu
scientiæ arborem & , horti medio in vitæ arborem & : escam in
לְמַאֲכָל וְעֵץ הַחַיִּים בְּתוֹךְ הַגָּן וְעֵץ הַדַּעַת egrediebatur
irrigandum ad , Heden ex egrediens fluuius Et .mali & boni
10 טוֹב וָרָע׃ וְנָהָר יֹצֵא מֵעֵדֶן לְהַשְׁקוֹת ידע [i] רוע [k] שקה [l]
.capita quatuor in est & , diuiditur inde & : hortum
אֶת־הַגָּן וּמִשָּׁם יִפָּרֵד וְהָיָה לְאַרְבָּעָה רָאשִׁים׃
terram totam circuiens ipse : Pison , vnius Nomen
11 שֵׁם הָאֶחָד פִּישׁוֹן הוּא הַסֹּבֵב אֵת כָּל־אֶרֶץ circuit
illius terræ aurum Et .aurum ibi quod , Chauilah
12 הַחֲוִילָה אֲשֶׁר־שָׁם הַזָּהָב׃ וּזֲהַב הָאָרֶץ הַהִוא ibi est זהב
fluuij nomen Et .onyx lapis & , bdelium † ibi . bonū
13 טוֹב שָׁם הַבְּדֹלַח וְאֶבֶן הַשֹּׁהַם׃ וְשֵׁם־הַנָּהָר † est
.Aethiopiæ terrā omnem circuiens ipse : Gnichon secundi
הַשֵּׁנִי גִּיחוֹן הוּא הַסּוֹבֵב אֵת כָּל־אֶרֶץ כּוּשׁ׃ circuit

vadens ipse : Chidekel tertij fluuij nomen Et — vadit ad Orientem Assur
14 וְשֵׁם הַנָּהָר הַשְּׁלִישִׁי חִדֶּקֶל הוּא הַהֹלֵךְ
.Perath ipse , quartus fluuius Et Assur ante — est
קִדְמַת אַשּׁוּר וְהַנָּהָר הָרְבִיעִי הוּא פְרָת׃
, hominem Deus Dominus tulit Et
15 וַיִּקַּח יְהוָה אֱלֹהִים אֶת־הָאָדָם — לקח [a]
.eū custodiendū ad & eū colendū ad , Heden horto in eū posuit &
וַיַּנִּחֵהוּ בְגַן־עֵדֶן לְעָבְדָהּ וּלְשָׁמְרָהּ׃ — נוח [b]
: dicendo hominem ad Deus Dominus præcepit Et
16 וַיְצַו יְהוָה אֱלֹהִים עַל־הָאָדָם לֵאמֹר — צוה [c]
arbore ex Et .comedes comedendo horti arbore omni Ex
17 מִכֹּל עֵץ־הַגָּן אָכֹל תֹּאכֵל׃ וּמֵעֵץ
die in , quia : ea ex comedes non , mali & boni scientiæ
הַדַּעַת טוֹב וָרָע לֹא תֹאכַל מִמֶּנּוּ כִּי בְּיוֹם
Dominus dixit Et .morieris moriendo , ea ex te comedere — quo comederis
18 אֲכָלְךָ מִמֶּנּוּ מוֹת תָּמוּת׃ וַיֹּאמֶר יְהוָה
ei faciam : solum hominem esse bonum Non : Deus — Non est bonum
אֱלֹהִים לֹא־טוֹב הֱיוֹת הָאָדָם לְבַדּוֹ אֶעֱשֶׂה־לּוֹ — היה [d]
Deus Dominus formauit Et .eo coram tanquam , adiutorium — quod sit coram eo
19 עֵזֶר כְּנֶגְדּוֹ׃ וַיִּצֶר יְהוָה אֱלֹהִים — בדד [e]
volatile omne & , agri bestiam omnem terra è
מִן־הָאֲדָמָה כָּל־חַיַּת הַשָּׂדֶה וְאֵת כָּל־עוֹף
videndum ad , hominem ipsum ad adduxit & , cæli
הַשָּׁמַיִם וַיָּבֵא אֶל־הָאָדָם לִרְאוֹת — בוא [f] ראה [g]
homo illud vocauit quod omne & : illud vocaret quid
מַה־יִּקְרָא־לוֹ וְכֹל אֲשֶׁר יִקְרָא־לוֹ הָאָדָם
homo vocauit Et .eius nomen hoc , viuentis animæ — est
20 נֶפֶשׁ חַיָּה הוּא שְׁמוֹ׃ וַיִּקְרָא הָאָדָם
omni & , cæli volatili & animali omni nomina
שֵׁמוֹת לְכָל־הַבְּהֵמָה וּלְעוֹף הַשָּׁמַיִם וּלְכֹל
adiutorium inuenit non homini Et .agri bestiæ
חַיַּת הַשָּׂדֶה וּלְאָדָם לֹא־מָצָא עֵזֶר
Deus Dominus fecit cadere Et .eo corā tanquam — quod esset
21 כְּנֶגְדּוֹ׃ וַיַּפֵּל יְהוָה אֱלֹהִים ׀ — נפל [h]
vnam cepit & : dormiuit & , hominem super soporem
תַּרְדֵּמָה עַל־הָאָדָם וַיִּישָׁן וַיִּקַּח אַחַת
ædificauit Et .ea pro carnem clausit & , eius costis è
22 מִצַּלְעֹתָיו וַיִּסְגֹּר בָּשָׂר תַּחְתֶּנָּה׃ וַיִּבֶן — בנה [i]
homine de ceperat quam costam Deus Dominus
יְהוָה אֱלֹהִים ׀ אֶת־הַצֵּלָע אֲשֶׁר־לָקַח מִן־הָאָדָם
dixit Et .hominem ad eam adduxit & mulierem in
23 לְאִשָּׁה וַיְבִאֶהָ אֶל־הָאָדָם׃ וַיֹּאמֶר — איש [k]
.mea carne ex caro & , meis ossibus ex os vice Hac : homo
הָאָדָם זֹאת הַפַּעַם עֶצֶם מֵעֲצָמַי וּבָשָׂר מִבְּשָׂרִי
.ipsa est sumpta viro ex quia , Virago vocabitur hanc ad — quæ propter Virassa
לְזֹאת יִקָּרֵא אִשָּׁה כִּי מֵאִישׁ לֻקְחָה־זֹּאת׃
adhærebit & suā matrē & suum patrem vir relinquet Ideirco — vnusquisque
24 עַל־כֵּן יַעֲזָב־אִישׁ אֶת־אָבִיו וְאֶת־אִמּוֹ וְדָבַק
ipsi ambo erant Et .vnam carnem in erūt & , sua vxore in — vxori suæ caro vna
25 בְּאִשְׁתּוֹ וְהָיוּ לְבָשָׂר אֶחָד׃ וַיִּהְיוּ שְׁנֵיהֶם — שנה [l]
.erubescebant non & , eius vxor & homo , nudi — pudebat eos
עֲרוּמִּים הָאָדָם וְאִשְׁתּוֹ וְלֹא יִתְבֹּשָׁשׁוּ׃

CAP III. ג

quam agri bestia omni callidior erat serpens Et
1 וְהַנָּחָשׁ הָיָה עָרוּם מִכֹּל חַיַּת הַשָּׂדֶה אֲשֶׁר
quod Etiam : mulierem ad dixit Et . Deus Dominus fecerat — Verè
עָשָׂה יְהוָה אֱלֹהִים וַיֹּאמֶר אֶל־הָאִשָּׁה אַף כִּי־
? horti arbore omni ex comedetis Non , Deus dixit
אָמַר אֱלֹהִים לֹא תֹאכְלוּ מִכֹּל עֵץ הַגָּן׃
horti arboris fructu De , serpentem ad mulier dixit Et
2 וַתֹּאמֶר הָאִשָּׁה אֶל־הַנָּחָשׁ מִפְּרִי עֵץ־הַגָּן — פרה [m] † est
dixit , horti medio in † quæ arboris fructu de Et .vescemur
3 נֹאכֵל׃ וּמִפְּרִי הָעֵץ אֲשֶׁר בְּתוֹךְ־הַגָּן אָמַר — eam
fortè ne , eam in tangetis non & , ea ex comedetis Non , Deus
אֱלֹהִים לֹא תֹאכְלוּ מִמֶּנּוּ וְלֹא תִגְּעוּ בּוֹ פֶּן־ — נגע [n]
Non : mulierem ad serpens dixit Et .moriamini
4 תְּמֻתוּן׃ וַיֹּאמֶר הַנָּחָשׁ אֶל־הָאִשָּׁה לֹא־ — מות [o] scit
quod Deus sciens Quoniam .moriemini moriendo
5 מוֹת תְּמֻתוּן׃ כִּי יֹדֵעַ אֱלֹהִים כִּי
eritis & , vestri oculi aperientur & , ea ex vos comedere die in — qua comedetis vos
בְּיוֹם אֲכָלְכֶם מִמֶּנּוּ וְנִפְקְחוּ עֵינֵיכֶם וִהְיִיתֶם — היה [p]

quòd , mulier vidit Et .malû & bonû ſcientes, dij ſicut
6 כאלהים ידעי טוב[a] ורע: [b]ותרא האשה כי
, oculis *ipſa deſiderium quod &* ,cibum ad arbor bona
טוב העץ למאכל וכי תאוה הוא לעינים
, eius fructu de cepit & : intelligendum ad arbor cõcupiſcibilis &
ונחמד העץ להשכיל[c] ותקח מפריו
.comedit & ,ſecum ſuo viro etiam dedit & :comedit &
ותאכל [d]ותתן גם־לאישה עמה ויאכל:
quòd cognouerunt & , ipſorum amborû oculi ſunt aperti Et
